



1
7
96









# JOANNIS JENSII
Justissima ad Publicum
# QVERELA
*De injuriosa*
prorsus ratione, qua secum egit
## PETRVS FRANCIVS,
ut &
*CARMINIS SVI GRAECI*
*ante triennium fermè compositi, acerbissimè ab eodem nuperrimè exerciti,*
## DEFENSIO.



DORDRECHTI
Apud CORNELIUM WILLEGAERTS.
CIↃ IↃ C XCVI.

## CAPITVM SYLLABVS.

# JOANNES JENSIUS
## Aequo & Benigno Lectori
### S. D. P.

---

### Caput I.

*Prooemium, ubi praeter alia, caussa inquiritur, quam P. Francius praetendat, in me ita grassandi.*



VIx dubium mihi est, quin plurimi, perspecto & cognito impetu illo, quo nuperrimè me publicè invasit P. Francius, arbitrentur, me, dum caussam meam contra illum dicere sustineo, certissimum aliquod existimationis meae (si quam vel habeo, vel apud bonos sperare aliquando possum) subire periculum; quippe qui congredior cum aliquo, qui aetate, usu, & nomine me longè antecedit. Imo vix dubito, quin plurimi ita de me existiment, ut putent me non posse non timore aliquo, sollicitudine, & diffidentia, pavefieri, angi, torqueri,

> Ὡς ὅτε ἴς τε δράκοντα ἰδὼν παλίνορσος ἀπέστη
> Οὔρεος ἐν βήσσης, ὑπό τε τρόμος ἔλλαβε γυῖα,
> Ἄψ τ' ἀνεχώρησεν, ὦχρός τέ μιν εἷλε παρειάς,

dum ego junior, paucorum annorum usu exercitatus, ad Musarum sacra nuperus advena, accedo, repositurus aliquid Viro, plusquam triginta annis in studiis versato, tantamque suam eruditionem, & Apollinearum artium scientiam glorianti, & *posteris* commendanti. Quare non defuturos credo, qui tota hac re-

responsione, quam instituturus sum, abstinendum mihi fuisse censeant, & placido silentio potius invictaque patientia devorandum, quidquid virulenti ac acerbi P. Francius in me evomuit. Ego verò contra omnino sentio; neque enim judico ejus esse, qui famae suae rectè consulit, submisso & patienti animo excipere insultantis alicujus superbam, atrocem, contumeliosamque intemperiem; ut contra ne quidem mussitare vel hiscere audeat; & ut instar Mirmillonis illius batuentis cum Caligula, sponte prosternatur, confodiendumque se subjiciat, victoriae de se palmam adversario suo lubentissimè cedens. Quicunque ergo vel de periculo meo, quod cum existimationis aliquo damno hîc subire possem, me sollicitum debere esse existimas; vel qui degenerem aliquem abjecti animi languorem antefers; scias, me non posse, nec debere, si maximè velim, hanc pugnam detrectare; quantumvis periculosa videri posset haec belli alea; quantuscunque ille Heros, & Gigas sit, qui terrores suos tanto cum molimine in me vibravit & detonuit. Illud tamen in ipso limine optabo, ut scilicet haec, quam dicturus sum, mea ipsius caussa in eos incidat, qui nullo partium studio abrepti, aequi judices audire amant. Ita enim puto fore, ut (nisi nimium mihi blandiar) me *juvenem* mei ipsius patrocinium contra injuriosam P. Francii mecum agendi rationem, adgressum, non sint condemnaturi.

Licet palam satis constare arbitrer, P. Franci, tamen publicè tecum queror & expostulo, quod me, qui pacatam & tranquillam in studiis meis vitam degere, in animum induxeram, importunè & insolenter interpellas, atque in alia omnia divertere cogis. In me, nihil tale vel merentem, vel exspectantem,
ex

ex improviso violentissimè irruis: fausta & laeta (utique mihi optata) juventutis meae incepta squalido acerborum ictuum livore foedas & infuscas. Bene habet! Me, quem hactenus clandestino, saepissimè tamen elucenti, nescio unde concepto, habuisti odio, aperto tandem bello, *pacis & quietis sectator*, invadis. At quid hoc bellum tamdiu distulisti? *Ab omni* scilicet *lite & contentione abstinere semper studuisti.* Quid verò nunc demum Martem tuum in me accendis? Quam caussam huic bello praetendis? Iustamne? Nullam? An aliquam tamen? Puto vel nullam, vel prorsus injustissimam. Age, videamus. Inimicitias & odia publicè gerere incipis cum Viro, cujus ego non modò consummatissimam eruditionem, sed & amicitiam (quod non parum in hoc casu nocere mihi deprehendo) suspicio, colo, veneror: gravissimorum errorum, cùm contra puritatem Latini sermonis, tum contra Historiam, & communem rerum sensum, ab illo argueris. Extricare te, atque expedire ferves, conaris, moliris; sed aqua tibi haeret. Quid inde? Pudet nempe dixisse,

*——— Adsum*
*Martis Apollinei si tibi pugna sedet*,

nunc verò clypeum in certamine abjicere. Quocirca ne nihil agere videaris, ab hoste nimium valido te in minorem aliquem convertis, eumque insontem planè, & innoxium truculenter involas; omnemque *rabiem* in ipsius caput effundis. Egregium facinus, dignumque, quod *agnoscant posteri!* An ergo nullam prorsus justae alicujus in me ita grassandi caussae speciem P. Francius prae se fert? Imo vero; sed & hanc ridiculam plane, absurdissimam, & falsissimam. Ego nimirum P. Francio, qui *viam* scilicet *mihi*, *qua*

*iretur ad carmen, monstrasset, sincerumque ac proficuum, tanquam vel pater, vel frater, vel magister dedisset consilium, gratiam retuli nullam, malam, pessimam. Nam domum reversus, omne id nostrum colloquium narravi aliter multo, quàm fuerat inter nos habitum, & pejorem quidem in partem.* En tibi, caussam, Lector candide, quam unicam irarum in me suarum praetendit ὁ οὗτος, qui quid sit σεμνοπρεπὲς, & τὸ πρέπον, solus ferme rectissimè videtur intelligere. Paullulum meo Francio largiar, atque hanc posse veram esse caussam fingam, quae illum impulerit ad tantum odium contra me non simpliciter suscipiendum, verùm etiam palam exercendum. *Pessimam retuli* P. Francio *gratiam, nam peiorem in partem colloquium inter nos habitum narravi:* propterea justissimè Professor pungit, mordet, sugillat, atque omnium, quantum potest, risui propinat exercitia juvenilia studiosi *juvenis* (nam eo, quo studiis adhucdum Lugduni operam darem, tempore contigit) & ingeniolum suum ad majora acuentis. Quin propterea odium, invidiam, & si posset, infamiam publicè ac privatim eidem *juveni*, suo nempe merito, conflare ardescit, eumque auctorem, vel adjutorem quorumdam in se Epigrammatum, suis repositorum, suspicans, an somnians, *Scurram Litterarium*, ejusve adseclam & *socium* propalam digito commonstrat. Haec denique justissima magno Aristarcho caussa est, eumdem illum publico, & virulentissimo scripto exagitandi; poëmation aliquod officii & exercitii gratia editum, asperrimo stylo lacerandi, superbisque μυκτηρισμοῖς, & sannis contumeliosis infamandi. Viden', Lector, quàm aequum *in foro suo jus dicere* foret censendus P. Francius, si haec, quam unicam praefert, ita me tractandi

123

di caussa pro vera ac rata esset habenda? Sed *heus tu!* Ego constantissimè adfirmo, hanc qualemcunque caussam esse vel prorsus fictam, vel (ut mollius quid dicam) ex falsis delationibus avidè admissis structam & conflatam. Quàm vellem, explicuisses clarè & liberè, qua ratione *pejorem in partem colloquium inter nos habitum* cuiquam mortalium *narraverim!* Sed *non erat istius loci* hoc repetere nimis altè. Cautissimè agis, mi Franci, qui reticeas, & ab hoc loco removeas illam tuam non satis aequam sententiam, quam me coram, tum prima & ultima vice ad te invisente, pronuntiasti de Gronoviis, patre & filio; quod nimirum illi, tuo olim magistro, parum gratiae pro institutionibus deberes; quandoquidem ad eam eloquentiae potissimùm summam non pervenisses, si in ipsius praeceptis adquievisses; (tale quid de Viro maximi, dum vivebat, nominis, & semper victurae apud literatam posteritatem famae, pronunciare non erubuit Noster, qui tanti viri ne umbr....) Filium autem titulis suis, quibus ornatus est, vix dignum censeres. An hoc fuit, amice, quod *pejorem in partem narravi?* Ego verò hîc publicè testor ipsum Celeberrimum Jac. Gronovium, num unquam ante aliâs, toto illo plusquam biennii tempore, quàm uno mense abhinc (quidni autem tum licuit?) vel minimum γρῦ de tota illa re ipsi enuntiarim. De aliis, quae *pejorem in partem narrassem*, ipse videris; quaenam illa forent, equidem ignoro. Injuriam non modò mihi, sed & tibi, bone Vir, infers maximam; dum nihil aliud proferens, cur tantam in me bilem tuam evomas, quàm quod *pejorem in partem colloquium nostrum narrârim*, Lectorem tuum *candidum & aequum* nihil speciatim doceas, quid illud tandem

sit,

sit, quod ex colloquio nostro *pejorem in partem* fuerit a me *narratum*. Vndenam cuiquam persuadeatur, utrum aequo, an iniquo jure, concitatus adeo, in me irruas? Nisi putes, tuum hoc tam inverecunda fronte adfirmare, omnibus sufficere. Quotiescunque sermo mihi cum aliis (quorum fidem imploro) fuerit de iis, quae mihi cum P. Francio, vel ipsi mecum, tum vel dicta, vel acta sunt, omnia uti sese habebant (praeter ea, quae paullo supra memoravi) & nunquam nisi cum aliquo honore & reverentia ipsius, significavi. Vnde ergo tam constanter alio planè modo hoc profitetur Professor? Putem eum vel malevolorum susurris & fabellis, vel sua ipsius mente forsan malè conscia, inductum, talia velle obtrudere. Ignoscas, quaeso, Lector, ignoscas, si quid durius & inclementius vel jam dixero, vel in sequentibus dicturus sim. Vt vellem ego *juvenis* salva reverentia cum ipso agere! Sed nimia acerbitas, qua sugillatus, proscissus, & infestatus sum, interdum durius quid & asperius extorquet.

Ego non praetermisi jam olim experiri, quò P. Francio me insinuarem, & amicitia ejus fruerer; sed infelici exitu, praeter exspectationem, in alia omnia ὀστράκου μεταπεσόντος. Quod ut clarius constet, ipse quoque *nudam ac simplicem narrationem* tibi, Lector, subjicere decrevi, quae praesenti caussae non parum lucis adlatura est. Hinc in arenam procedam; non adeò ut adversarium meum, quem praeoptaram amicum, hostili & infenso animo oppugnem; sed ut injuriosam, qua me tractavit, rationem ostendam; nec non quo jure, qua auctoritate & successu Graecum meum carmen, propter quod toties, & nunc potissimum me per ora hominum traduxit invidiosissimè,

tan-

tandem Critico & morosissimo examini subjecerit.

## Caput II.

*Narratio, quàm candidè P. Francii amicitiam olim fuerim aucupatus.*

ANnus fermè agitur tertius, ex quo ego, Artium Liberalium tyrocinia sub illustrissimo Musarum decore Jac. Gronovio, Lugduni in Batavis deponens, & magno poëticarum deliciarum amore captus, amicitias caeterorum virorum, quos agnoscebam Ἡρακλεῖς Μουσηγέτας, circumspexi; quorumque usum, & consuetudinem meis in poësi conatibus non parum profuturam, haud vanus mihi ipse videbar spondere. Inter alios conciliare mihi statui P. Francium; cujus animum, antequam coram me sisterem, reddere mihi benevolum tentavi, missis subinde illi meis exercitiis. Hinc ipse ad eum profectus, comiter satis & amicè fui exceptus; variisque ultro citroque de studio poëtico ac oratorio, ut & de aliis rebus (quas *non hujus loci esse*, jam dixit Ille) sermonibus habitis, Francius me cupidum animadvertens intelligendi, quas qualesque delicias ipse in concinna vocis modulatione poneret, porrigebat mihi volumen Orationum Ciceronis, ut aliquid praelegerem, & ipse sicubi in arte eloquendi laberer, me moneret, & praelectionem deinde praeiret; quo ita vicissim facto, rogavi, judicium suum mihi candidè profiteretur de iis, quae ego jam varia poëticè luseram; quò possem aliquid proficere, & ad boni candidique judicis sententiam in posterum me gerere. Morem suum non esse, respondet ille,

criticum judicium ferendi ſuper jam editis (Notes; velim, quàm maximè, Iuſte Lector, candorem Hujus, de editis auctori, φιλομαθεστάτῳ hoc roganti, quidpiam pronuntiare nolentis, qui tamen coram omnibus aliis, quidquid ſibi non probatur, jactat & effutit) Verùm ita inter nos convenit, ut ego exercitii cauſſa carmen aliquod conderem, & Ille hoc a me miſſum, vel per me data occaſione perlatum caſtigaret, atque adeo mihi ad vera & arcana Muſarum penetralia aditum aperiret. His ego blandiſſimis certè futurae deinceps cum illo amicitiae ſignis laetus diſceſſi.

At quantum me mea fefellit opinio! Quid fit? Duobus pòſt diebus Lugdunum mihi reverſo perfertur, uti P. Francius palam in amicorum coetibus perſtrinxerit, & exſibilarit ea, quae coram ipſo a me experiundi eloquii & geſtus oratorii cauſſa eſſent tentata: quae quidem in nullum alium finem a me fuerunt facta, niſi ut blanda atque amica caſtigatione guſtum aliquem deliciarum & elegantiarum, quibus artem dicendi ornandam cenſet, ab ipſo exciperem. Niſi fide digniſsimi fuiſſent, qui mihi hoc referebant; & niſi inter caetera eadem renarraſſent verba, quibus Ille ad me erat uſus, omnem fidem iſti relationi abrogaſſem. Iuſtiſsimè equidem indignatus fui, illud amicitiae vinculum, quod nuperrimè adeò uterque conſtringere eramus viſi, tam cito nulla mea culpa, ſed neſcio qua P. Francii ἀκαταστασίᾳ, & illaudabili certe mobilitate (ne quid gravius dicam) diruptum & amputatum eſſe. Sed, quae animi mei haud ſimulata eſt facilitas, non omnem vel ſic abjeciſſem ſpem, animum ejus quandoque mitiorem & benevolen-

lentiorem in me de integro reddendi; nisi paullò post ita tractatus fuissem, ut desperandum mihi fuerit, me unquam eam gratiam apud Illum initurum, ut constantioris amicitiae pactum cum eo possem pangere.

Ad professionem Historiarum, Linguae Graecae, & Eloquentiae Franequerâ Lugdunum Batav. vocatur recondita eruditione Vir, Jac. Perizonius; cujus ego inaugurationem Graeco carmine officiosè prosequor: quod carmen una cum Celeberrimi Viri oratione per typos vulgatum, in manus P. Francii, malis profectò avibus deveniens, eo fato exceptum est, ut non modò morosissima, & fastidiosissima κρίσις fuerit exercitum, sed per ora hominum, interprete & praecone Francio, tanquam panniculus sordidissimis & spurcissimis maculis inquinatus, volitaverit, & ludibrio sannisque fuerit expositum. Nec defuerunt forte, quibus Graecarum literarum, & praecipuè poëseos haud adeo gnaris, hoc persuadere potuit Noster ille. Quippini? sola namque P. Francii auctoritas & majestas in humanioribus studiis sufficit, quò aliquid, illo vel probante, vel damnante, itidem ab aliis probetur vel damnetur; quippe in cujus unius suffragio reliquis sit adquiescendum. Mihi verò quae mens esse potuit tam malè mulctato ab illo, cui ne minimam indignandi caussam factis verbisve unquam dederam; at contrà cujus amicitiam sincere & candide fueram aucupatus? Quae, inquam, mens potuit esse mihi, *juveni*, & in Musarum sacris pubescenti, atque adeò nihil antiquius ducenti, quàm favorem & benevolentiam eorum captare, quos sacrorum horum mystas suspiciebam; quorumque ex amicitia plurimum me posse & velle proficere,

re, nunquam non profitebar? Graviſſimè, fateor, commotus fui, ubi ſentiebam, me nihil tale ab illo meritum, tanta cum aſperitate & acerbitate (quidni id, quod res eſt, proloquar?) perſtringi & exſibilari. Sed ne quidem hanc P. Francii mecum agendi rationem malignus adeò interpretatus ſum, ut credulus omnia, quae ſuper ea re ad me deferebantur, admiſerim, & iniquus de eo judicare fuerim viſus. Ad rei veritatem expiſcandam, & ut oſtenderem, me nolle nimium indulgere rumoribus; feci id, quod potui tali in tempore, quo per morbum impediebar, quo minus coram eum poſſem convenire ſuper iis, quae ad me eſſent delata. Scripſi epiſtolam, qua officioſe ſatis, puto, rogavi, vellet mihi per literas ſignificare, & amicè monere, ſicubi in dicto carmine eſſem lapſus; ut ita deinceps contemnerem, quidquid fama, in majus omnia extollens, vel falſum, vel ut fit, exaggeratum mihi poſſet perferre. Quam epiſtolam, juſtis cauſſis inductus, hîc publicè exhibeo.

Viro Clariſſimo

PETRO FRANCIO

S. P.

*Nullus, Vir clariſſime, dubito, quin iam dudum miratus fueris, me promiſſis meis ante paucos menſes datis, non ſtetiſſe: quum nempe familiariorem tui uſum me optare profeſſus, & ſingulari humani-*

*manitate tua invitatus, curaturum me esse pollicebar, ut hac tam liberaliter oblata amicitia frui possem. Magni scilicet faciebam, ac semper facio, cum Viris doctißimis habere consuetudinem, & nullo melius juvenum ingenia exacui, quàm optimis exemplis, & probatissimorum monitis existimabam. Hinc quum potissimum Poësis jam ab ipsis haud ita nuperis studiorum meorum primordiis, nescio quàm vehementer mihi placuerit; & quum famam tuam, quam in isto humanarum artium suavißimo genere apud omnes jure poßides, semper veneratus fuerim, amicitiam tuam conciliare, ac inde quae ad Poëseos nitidiorem cultum facerent, aucupari, inter τὰ προὖργα censui. Quam tuam amicitiam ubi unico colloquio impetravi, meum, fateor, fuit, eam omni studio ita colere, sicuti res ipsa postulabat. Verùm eo tempore, quo poteram, & constitueram quoque, ad te transire, detinuerunt me supervenientes febres, deinde secutus languor tam procul domo abire vetuit: eò autem libentiùs Amstelodamum proficisci cupiebam, quod ab variis amicis judicium tuum de Graeco meo carmine in inaugurationem Viri Clarißimi Jacobi Perizonii, & multiplices in eo notati errores ad me deferebantur; quod etiam ex ore tuo exceptum, testatum mihi fecit Eruditißimus Doctor meus Jacobus Gronovius. Qui rumor, non admodum suavis, tenuit me valdequam sollicitum; & nisi valetudini meae diffisus fuissem, certè stimulus erat ad te invisendi, coramque de his rebus agendi: exigua enim errorum, qui animadversi erant, pars mihi significabatur. Quapropter incertus, a te ipso fieri me certiorem praeoptabam: quanta enim confusae ple-*

*plerumque aliorum relationi debeatur fides, quotidianus rerum humanarum usus abundè docet. His itaque, Vir clarissime, literis etiam atque etiam rogo, significes mihi, si ita placet (neque enim res mea in praesentiarum urbe nostra excedere me patitur) per literas, in quae vitia carmen illud, de quo dixi, impingat: praesertim ut, si probè mihi innotuerint, ea & iis similia in posterum cautior evitem. Equidem humanitas tua, quam nuper expertus sum, illud non est denegatura: quin confido fore, ut quod cum aliis communicare placuit, mecum certè sis communicaturus. Optimè videlicet studiosae juventuti consulitur, si ea quae secus, & quocunque modo μειρακιώδη sunt commissa, judiciis doctissimorum hominum, aetate & lectionis usu multùm antecedentium, castigentur atque emendentur. Dum igitur tu, Vir clarissime, juventuti libenter consulis, mihi ut consulas, peto. Vale.*

Lugd. Bat. VIII. Kalend.
Octobr. cIɔ Iɔc XCIII.

Non dubitabam equidem ego, quin ad has meas amantissimè scriptas literas saltem responderet Ille, si non penitus petitioni meae satisfaceret. Quid quaeris, Lector? frustra responsum exspectavi: indignum scilicet se putabat Vir ille cum *juvene* commercium literarum habere, ac obnixè roganti errores suos indicare, non autem indignum se existimabat, illos proclamare & jactare, ac si insignis inde

sibi

sibi nasceretur gloria. Interim ego mirari, aegrè ferre iniquam P. Francii agendi rationem. Ab singulari amico meo J. Perizonio, scribitur Cultissimo Jano Broukhusio, quidni Francius boni & honesti Viri munus impleat, & quae vitia tanto cum tumore apud alios depraedicat, ipsi auctori humanissimè postulanti, significet? Quid ad ea Broukhusius? Egisse mecum de illa re Francium, quod forsan meum illum amicum celarem, rescripsit. Itane, praeclare Vir, amas

ψευδέα θ' αἱμυλίους τε λόγους, καὶ ἐπίκλοπον ἦθος;

Itane insuper suspectum me, & invisum reddere conaris? Tune egisti mecum de illa re, Franci? Coramne, an per literas? Non utique coram; quum postquam semel ad te inviseram (dudum ante id negotium) nunquam pòst tecum sim locutus. Neque certè per literas mecum egisti; ut & ipse in primae Epistolae tuae pag. XI. publicè confiteris.

## CAPUT III.

*Quàm iniquè P. Francius me auctorem Epigrammatum, suis repositorum, insimularit, & propterea Scurram Litterarium, ejusve socium vocarit; quod omnes hos tumultus fecit exardescere.*

SIc ego fraudatus tandem omni spe, unquam P. Francii animum, nescio qua de caussa in me acerbum & asperum, molliendi & mitigandi, ultra biennium

nium me contineo; & quamvis male ab eo fuerim habitus, non tamen unquam, ubicunque de ipso & poëtica ejus facultate injiceretur sermo, nisi cum honore ejus locutum me fuisse, testabitur quicunque adfuerit arbiter. Quae mihi gratia? Non audeo dicere, *Nulla, mala, pessima*; sed longè tamen alia, ac merui. Scribuntur Iambi *in Petrum Lombardum*, verè, ut patet, in P. Francium. Inquiritur Auctor; insimulor ante omnes ego; & per aliquod tempus, quin Auctor sim, non dubitatur. Totius hujus rei ego ignarissimus, Leidam ad amicos venio; veluti novum quid audio de illis Iambis, qui jam dudum erant vulgati, &, ut intelligebam etiam tum, Epigrammati *in Frigidum Oratorem* repositi: sed obstupesco, me Auctorem eorum, jam per aliquod tempus volitantium (de quibus tamen ne fando quidpiam audieram) insimulari intelligens. Incido forte in CL. Virum Francii amicum; apud eum de insolentia hujus rei queror. Ille, haud adeò aegrè ferendum, ait, quod Francius me Auctorem *suspicetur*, quippe qui censear inter inimicos ipsius (en pacificum hunc, qui nullas cum quoquam mortalium suscepit unquam inimicitias!) & potissimùm inter eos, qui bonum carmen condere possunt; Iambos enim hos bonos esse. Nota, Lector, qui *elumbes, sine mente, sine indole versus Consuit*, ille jam *bonum carmen condere* dicitur. At, inquam ego, aliud est *suspicari*, aliud *palam praedicare*, sicuti factum esse intelligo: suspicionem verò, quamlibet injustam, tolerari aliquo modo posse, quum nullius animo vis inferri queat: sed apertam insimulationem homini plane innocenti (qualis ego certissimè eram) utique non ferendam, verùm iniquissimam esse censendam.

Sub-

Subjecit Vir ille CL. jam cognitum planè eſſe τὸν αὐτόματον, nec me amplius eum haberi. Ego neutiquam malignus, perſuaderi mihi patior, ac inſuper laetus, quod ſuſpicione eram liberatus, diſcedo. Dordrechtum redeo; vulgantur rurſus in Francium Epigrammata ipſius Epigrammatibus itidem repoſita: rurſus ( ubi jam eram antea de iſto crimine abſolutus ) ab illo Auctor inſimulor, vel ſaltem adjutor: ſpargitur hic rumor quaquaverſum, & palam jactatur: quin, quod excedit omnia, *in Scurram Litterarium* quempiam *ſeſe occultantem* invehitur, eumque provocat P. Francius. Nullus hîc nomine deſignatur *Scurra*, re deſignor ego, vel primus pilus inter ejus ſocios ſtatuor.

Lector optime, tuam fidem! Qui me antea injuſtiſſimé inſimularat, ſed, ut videbatur, abſolverat; ille me de integro impudentius non modò inſimulat, ſed infami titulo *Scurrae*, ejusve *Socii* haud obſcurè notat, indigitat, inurit: in epiſtolaribus ad amicos ſuos ſermonibus, *perinde ſibi eſſe*, ait, *utrum is Scurra Dordraci, an Lugduni lateat.*

Quid autem ego in his turbis? Miror, indignor, ſollicitus ſum. Miror ſcilicet, me palam apud plurimos haberi illorum Epigrammatum Auctorem, qui ne minimum quidem unquam dederim ſpecimen, unde iſtiusmodi de me ſuſpicio, nedum aperta ferme inſimulatio, in quemquam cadere poſſet. Indignor atrocitatem rei, & manifeſtam injuriam. Sollicitus denique de exiſtimatione mea ſum, quam nulla turpitudinis nota pollutam eſſe conſcius ſum. Quamvis ſatis intelligerem, quod

*Conſcia mens recti famae mendacia ridet,*

majoris tamen alicujus ponderis eſſe hanc rem mihi perſuadebam. Conſilium meo declarandi publicè, quantopere abhorream, ſemperque abhorrere decreverim ab iſtiusmodi negotio; atque adeò de ſumma mihi facta injuria publicè querendi.

Verumtamen, omnibus rite perpenſis, ſuperſedi illa re; ne vel ſic malevolis quid darem, unde ſiniſtrum ſuum de me judicium confirmarent. Sanctiſſimis tamen ego verbis, & animo ſinceriſſimo adfirmare palam potui tum, & nunc poſſum, me non modò non manum toti iſti negotio, aliquo pacto admoviſſe, ſed ne quidem de primo illo epigrammate *in Petrum Lombardum*, quidquam audiviſſe, niſi cum jam per aliquod tempus fuerat vulgatum, & ego jam dudum illius Auctor fueram habitus. Candidè hoc, Lector, profiteor, & per omne id, quod fas, pium, decorum, & honeſtum eſt, teſtor, atque dejero. Non dubium mihi (ut ad ipſam tandem rem veniam) quin is, qui per *Scurram Litterarium* deſignabatur, non ego ſolus forem, ſed praeprimis quoque Clariſſimus Perizonius, quî cum jam dudum ſimultatem, noviſſimè apertas inimicitias gerebat P. Francius. Haud levibus cauſſis adductus Clariſſimus ille Vir, ſub alio nomine, ne ſuum rixis illis contaminaretur, Epiſtolam ad Francium ſcripſit, qua ad carmen illud *in Scurram Litterarium* reſpondit: quam epiſtolam ille non devorare, multo minus concoquere, valens, regreditur in arenam.

*Ferte citi flammas, date tela, impellite remos.*

Claſſicum cecinit. In quem fit impetus? In verum adverſarium? minimè verò. Ego miſer truculenter inva-

invador, aetate, usu, nomine, multum illo, qui me invadit, inferior. Ego junior, & ut fiam Aliquis, modò adspirare incipiens, hostiliter, contumeliosè, verniliter, & certé injustissimè, infestor ab Amstelodamensi Professore Historiarum, Linguae Graecae, & Eloquentiae; qui jam ultra viginti annos titulo illo ornatus fuit. Quis non imparem hanc meam caussam esse dicat? Mihine jam magis seriò, quod ille jocabundus de se, convenit,

*O coelum! O terra! O maria Neptuni!*

At quid tandem est, in quo ita oppugnor? Graecum aliquod carmen, quod ante tres ferme annos, teneras meas in his studiis vires experiundi caussa, luseram. Jam simul quoque intelligis, bone Lector, quàm impar isti ἀνθιπάλῳ committar: quum per plus quàm biennium se in antecessum praeparare, accingere, & munire potuerit, & haud dubiè ita fecerit, si quando usu veniret: nam vel tum in animo habuit istud Carmen publicè exagitare. Neque etiam negas, credo, Franci, cum discipulis tuis hoc carmen te saepe tractasse, iisque illud per contumeliam tanquam δυσάνητόν τι καὶ ἀποτρόπαιον θέαμα obvertisse. Quod si in re gravi & seria risus conveniret, dicerem equidem,

*Ridete quidquid est domi Cachinnorum.*

Verùm enim vero, mi Lector, dum hanc mei defensionem & purgationem praetermittere nequaquam possum, si non exactissimè ad singula & universa, quae in numerum à Censore meo missa sunt, respondero;

 ne mi-

ne mireris. Quis enim aliis negotiis obsessus, tot ac talia, quae severissime de verbo paene ad verbum notata sunt, ex tot Graecorum Poëtarum corpore, adstruere ac vindicare brevi tempore queat? Iis quippe subsidiis & elucubrationibus plurimis, quibus Latina poësis munita & illustrata est, destituta hactenus, quantum ego scio, est poësis Graeca: loquor de indicibus Prosodicis. Adde quod, uti & ante dixi, & nunc repeto, istud Carmen in studiorum meorum auspiciis est compositum; cum id magis industriae meae qualiscumque, & linguae Gr. amoris specimen darem, quàm ut illud omnibus numeris absolutum, & cum eruditissimorum poëticis operibus conferendum, venditarem. Magnum tamen me Apollinem futurum crediderim, si plurima, quae in praesentiarum P. Francii censurae opponam, talia reperiantur, quae probatae auctoritatis fulcro stabilita, summam Censoris mei (ne iterum quid gravius dicam) intemperiem arguant. Magnum, inquam, me futurum auguror Apollinem, si in vindicandis, quos turpissimos ille dicit, naevis, eos in illum jure justissimo retorquere, nec temerè in hoc casu me cum P. Francio comparare possim.

## Caput IV.

### *Carminis mei Defensio.*

SEd agedum, Lector! videamus quo cum successu eruditus Professor, qui hactenus nihil φιλόλογον praeter adnotatiunculas in sua quaedam ipsius poëmata, cum publico communicavit, eruditionem suam, ἄμουσον scilicet καὶ ἄχαριν, & Graecorum poëtarum intel-

intelligentiam ostendat, dum operosissimè castigandum sibi proposuit carmen jam superioribus annis à me *consutum*. Quod non sine singulari meo fato fieri video; quum forsan non aliunde constiturum sit posteris, P. Francium aliquid praeter Orationes & carmina elucubratum esse, nisi cum has ipsius commentationes super juvenili aliquo meo ποιηματίῳ viderint, & admirari debuerint scilicet; adeoque meum quoque nomen ab eo literis consignatum viderint. Sed ad rem tandem.

I. Κλυτὰ πόληος δώματα) Hîc ait meus Censor primam in Κλυτὸς secus à me *produci*, quum *corripiat Homerus*. Fateor ita sese rem hanc passim apud Homerum habere; vix tamen quis mihi persuadeat, naturam hujus Syllabae repugnare, quo minus possit etiam, ut *ego feci*, *produci*. Ut hoc non temerè statuam, adducor, primò quod vocalis υ in plurimis apud Graecos, & praecipue Grammaticorum doctissimos censeatur communis: deinde ex compositis a κλυτὸς, qualia sunt δουρικλυτὸς & ἀγακλυτος quorum illud apud Homerum penultimam quidem habet brevem, ut Iliad. E vs. XLIV. & alibi, sed & productam in eodem libro vs. LV.

Ἀλλά μιν Ἀτρείδης δουρικλυτὸς Μενέλαος.

Rursum ibid. vs. DLXXVIII. Iliad. K vs. CCXXVII. Odyss. P. vs. CXVI. & CXLVII. Non aliter quoque in fragmento Hesiodi ex Scholiaste Sophoclis,

Ἡ τέκεθ' Ἑρμιόνην δουρικλυτῷ Μενελάῳ.

Cum τῷ Ἀγακλυτὸς eodem modo comparatum est, cujus

jus quum penultima Hesiodo Θεογ' vſ. DCCCCXLV. corripiatur, producitur vſ. MXV.

Πᾶσιν Τυρσηνοῖσιν ἀγακλυτοῖσιν ἄνασσον.

Quum ex ejusmodi teſtimoniis clarè liqueat in compoſitis ſyllabam quampiam eſſe communem, quidni eam in ſimplicibus, licet auctoritas poëtarum deficiat (qui magnam partem intercidere) itidem credamus communem? *Communem* dico, mi Ariſtarche, ne me malè interpreteris; quum ſatis ſciam compoſita & derivata non ſemper ſervare quantitatem, ut cum Grammaticis loquar, ſimplicium & primitivorum, quae ſaepe variat, praeſertim apud Latinos: ſed tum ea quantitas longa, vel brevis, ſemper manet longa, vel brevis, non verò communis.

II. Μῦσαί τε καὶ χάριτες) Verba haec reprehendit Noſter, vel potius verbum Μῦσαι, quod α finale ſequente conſona corripio; hanc enim *diphthongum, aut aliam apud illos bonos ſcriptores, conſona ſubſequente, brevem non meminit* Francius *ſe legiſſe, nec aliquod adduci poſſe exemplum exiſtimat*. Quid memineris, neſcio; ſed falſum te exiſtimare, *exemplum adduci non poſſe*, ex adducendis mox exemplis te docebit, Profeſſor, ille, quem vocas, *Magiſtellus*: niſi verendum mihi ſit, ut jure auctoritatem aliquam veterum tuae auctoritati liceat opponere: ſed quid *boni illi ſcriptores* (qui veriſſimè *boni* ſunt) me docuerint, aequo patiaris animo me proferre. Diphthongi finales αι & οι apud Hiſtoricos, & caeteros id genus, ſoluta oratione ſcribentes Graecos, accentuum ratione reperiuntur breves; quod nemo facilè

cilè negarit; quodque non parum mihi hîc conducit. Apud poëtas verò eaedem hae diphthongi in fine vocum habentur communes, vel ſequente conſona; ſaepiſſimè enim productae, aliquando breves; communes ergo. Diphthongum finalem αι, ſequente conſona, produci, non opus eſt ut probem, quum jam hoc contenderit, uti revera res ſeſe habet, meus Francius. Sed videamus, num ſequente conſona etiam corripiatur. Homerus Iliad. B vſ. CCCLXIII.

Γνώσεαι δ' εἰ καὶ θεσπεσίῃ πόλιν οὐκ ἀλαπάζεις.

At per contractionem τὸ Γνώσεαι diſſyllabum dices. Bene! Sed an in ſequenti itidem eſt contractio? Iliad. I vſ. CCCCXIV.

Εἰ δέ κεν οἴκαδ' ἵκωμαι φίλην ἐς πατρίδα γαῖαν.

Ibidem vſ. CCCXCV.

Πολλαὶ δ' Ἀχαιΐδες εἰσὶν ἀν' Ἑλλάδα τε Φθίην τε.

Lubet hîc paullulum indulgere exemplis; praecipuè cum *idem hoc vitium* (quod committere etiam vides, Lector, Homerum, & deinceps videbis alios) *in uno & eodem carmine decies* dicar *committere*.

Euſtathius ad Iliad. Z vſ. CCXCII. Anonymum quemdam citans, quem vocat τὸν τὰ Κύπρια ποιήσαντα, hoc eſt, *qui res Cyprias carmine exſecutus eſt*, hunc profert verſiculum,

Ευαέϊ τε πνεύματι χρησάμενος καὶ θαλάσσῃ
λείᾳ.

Heſiodus Θεογ' vſ. XLVIII.

Ἀρχόμεναί θ' ὑμνεῦσι θεαὶ, λήγουσαί τ' ἀοιδῆς.

In frag-

In fragmento Hesiodi ex Scholiaste Theocriti (qualiscunque generis metri frustum hoc sit)

—— ὀλίγον δ' ἔισεται κισσυβίῳ.

Orpheus in Hymno Κυρήτων vs. xv.

Ηνίκ' ἂν ὁρμαίνωνται χολούμενοι ἀνθρώποισιν.

Idem in Hymno Vestae vs. v,

Οἱ καὶ θεῶν μακάρων θνητῶν ——

Quamvis θεῶν hic etiam per contractionem possit esse monosyllabum, ut saepe apud Poëtas; exempla dabimus infra. Rursus αι sequente consona corripitur in Theognidis γνώμαις vs. CCLVI.

Πρᾶγμα καὶ τερπνότατον, οὗ τις ἐρᾷ, τὸ τυχεῖν.

Non absurdum erit hic aliquid inserere ex Tragoedia, dum nempe versamur in carmine, *quod tantas Tragoedias concitavit*. Apud Sophoclem in *Ajace* Mastigoph. vs. DCCCCXCIII. hic Jambus est,

Λιπὼν ἀνίας τε καὶ γ[illegible] διοίχεται.

Qui sciverit secundam in ἀνία produci à Poëtis, satis videbit καὶ ibi esse breve sequente consona. Musaeus in amorib. Herûs & Leandri vs CCXIII.

Κά μιν ὀπιπλεύων οὐκ ὄψομαι δύντα Βοώτην.

En, magne Poëta! Jamne tandem *existimare* incipis *adduci posse aliquod exemplum*, ubi diphthongus αι in fine vocis, subsequente consona, sit breve? Ne

jam

jam indignere, si decem haec, quae mihi adscripsisti, vitia in te transferam, & tua haec, non mea censenda constanter praedicem. Fortassis quoque eodem nomine incusasti erroris Illustrissimum Episcopum Huetium, qui in carminibus, nuper ab Clarissimo Graevio (quem venerandum Senem judicem hujus causae nostrae optem) editis, εἰς τρεχέδειπνον παράσιτον pag. XLVI. ita scribere non dubitat:

Εὔχομαί σοι γένετορ πάντων ὃς ὀλύμπια ναίεις.

Restat ut aliquid, si nescias, suggeram tibi de diphthongo οι, quam in soluta oratione simili modo in fine vocis, ratione accentuum, considerari ac α supra dixi: addo nunc, & in oratione metrica, quod cernas licet apud Homerum Iliad. Θ vs. CCXXV.

Ἠ' δ' ἐπ' Ἀχιλλῆος, τοί ῥ' ἔσχατοι νῆας ἔισας.

Ut & apud Orpheum in Hymno Μοιρῶν vs. XX.

Ἀλλά μοι νυκλέελοι ——————

Et in Hymno Eumenidum vs. IX.

Ηερίαι, ἀφανεῖς, ὠκύδρομοί θ' ὥς τε νόημα.

Sic οι finale, sequente consona, corripitur in Iambo illo quem ex Menandro citat Harpocration in voce Κύκλοις

Ἐγὼ μὲν οὖν ἤδη μοι δοκῶ νὴ τοὺς θεοὺς
Ἐν τοῖς κύκλοις ἐμαυτὸν ἐκδεδυκότα.

Primi versiculi quartus pes est Anapaestus (μοι δοκῶ) loco jambi, ut saepè apud reliquos Comicos & Tragicos fit: ergo μοι hic breve est.

III. [illegible]λέτερον κλέος κόσμον τε Πεελζωνίδην) Quid hîc culpat rigidus Cato? Versus spondaicus à *Misello inopia*



*factus*

*factus* non placet. Quod si alium talia censentem cernerem, nugas eum vendere dicerem. Quid quod Hesiodus toties illud Ἠλεκτρυώνη, ut & Βίη Ἡρακληείη in fine versus collocat: quod si tu ubique suavitatis metri caussa Hesiodum fecisse dicas, vereor ut alii hoc saepè factum dixerint, quia aliter commodum visum non est.

IV. Κτᾶσιν εὐχομένην) Non hoc hîc suo loco, sed alibi (ubi αὐδὴν pag. XXVI. prae manibus habet) ὁ κριτικώτατος Francius exercet. Mendum esse ait vir Graecae poëseos callentissimus, εὖ in ἐῢ resolutum, ut υ sit longum. Videamus hîc iterum, quid auctoritatis meo huic debeatur Critico. Ego nullus nego εὖ resolutum, habere υ saepe breve; sed ut produci etiam videas, ecce tibi hoc Homeri Iliad. Γ vs. CCXXXV.

Οὕς κεν ἐῢ γνοίην καί τ' οὔνομα ——

Scio, dices hîc υ non sua natura, sed ob sequentis vocis consonas produci: at quid dices de hoc Hesiodeo Θεογ. vs. DCCCLXXXV.

Ἀθανάτων. ὁ δὲ τοῖσιν ἐῢ διεδάσσατο τιμάς.

Nisi hoc probes, & tuae pronuntiatae semel sententiae mordicus adhaereas, citò forsan pigebit te dixisse, Εἰνσιάδης μὲν ἐγὼ, & iratus fies Heinsiis manibus (quos certè & ego summa veneratione colo) quum videris tantum Virum, dum vita manebat, in Epigrammate in Maximum Tyrium altero, nihil tuam olim κρίσιν veritum, scripsisse,

Μελλίζης ἱερὴ μάντις εὐλαλέης.

V. Κιχλήσκετ') Quantopere hîc insultat, subsannat, sed & σκιομαχεῖ meus ille Censor! Vt tandem verè te nugis

nugis (jam enim confidentius paullo loquor, cum ipſe ita de te fateris) *Lectorem tuum detinere* intelligas, ſcias κικλήσκετ᾽ non vitio typographico poſitum pro κικλήσκατ᾽, ſed eſſe ſecundam perſonam in plurali numero imperfecti (jam tecum *grammatizo*) in Indicativo Activo, abjecto augmento, Poëtis, ut noviſſe te innuis, more uſitato. Quid autem tu? ais, me *Grammaticum mendum commiſiſſe plus quam pudendum.* κικλήσκω *verbum Poëticum eſt, & idem notat quod* καλέω. *habet autem in praeterito ordine naturali* κεκίκληκα, *ut* κεκάληκα, πεποίηκα, *quod Poëtico more, abjecto augmento eſt* κίκληκα. Quis mortalium Graecae linguae gnarus, imo quis *puer* primis rudimentis imbutus, hîc non ſtupeat, vel potius omnes cachinnos ſolvat, tam putidam & foedam Profeſſoris alicujus hallucinationem, an ignorantiam, deprehendens? Tune, Graecule Franci, κεκίκληκα ordine naturali à κικλήσκω deducis? Quod κεκάληκα à καλέω deducas, minus pudendum eſt, quamvis & hoc contra omnem Graeci ſermonis ſit uſum; quum nullus uſpiam ſcriptor κεκάληκα dicat. Sed iterum ad κικλήσκω. Tu jam a me diſce, quod turpiter ignoras, haec verba, τιτρώσκω, μιμνήσκω, διδύσκω, meum κικλήσκω, & plura talia, mutuari omnia ſua tempora, praeter praeſens & imperfectum, à ſuis ſimplicibus, τρόω, μνάω, δύω, καλέω. De quibus, praeter alios Grammaticos omnes, vide Ang. Caninii Helleniſmum, *De verbis Anomalis ab Them. regul. deducendis.*

Quis jam *Grammaticum mendum commiſit plus quam pudendum?* Lector, tu judica, num ille qui vel κεκίκληκα nominat, prima elementa cenſendus ſit intelligere: Nondum *te dimitto*, bone Vir; nimis constrictum te hic teneo. Pergis ineptire pag. ſequenti: *Illud verò* (κίκλησκεν) *in ſe-*

*in secunda plurali habet non* κικλήσκετε, *ut hîc est scriptum, sed* κικλήσκατε, *ut* τέτυφήκατε ( sed acutus homo jam correxit κικλήκατε, *ut* τετύφατε, age, legamus ita, sic amplius patebit ipsius inconsiderantia ) πεποιήκατε, *quomodo si scripsisset, res aperta fuisset, etiam cum Apostropho. Addo* κικλήσκετ' *pro* κικλήσκετο *esse tertiam singularem, à* κικλησκόμην ( ita & hoc in secunda epist. rectè quidem correxit ) *illud verò* κικλήσκατ', *quomodo scribi debuit pro* κικλήσκατε, *secunda est pluralis à praeterito Indicativi. Haec ignorat videlicet ille, qui nihil se ignorare putat,* ὁ γραμματεὺς ὁ πάνσοφος. *Hunc errorem committit ille, qui eundem illum in suis sceptro Paedagogico vindicaret pueris Magistellus.* Hactenus ὁ ὗτος.

Sanumne te hîc dicam, Franci, an delirantem, qui in me contumeliosissimè inveheris, ubi ego non modo nihil planè vitii committo, sed ubi tu insulsissimè & flagitiosissimè Graeca fingis, quae nullus unquam somniavit? Quid? an apud Homerum (quem citâras) κίκλησκεν est tertia perfecti, ut habeat in secunda plurali κικλήκατε (ita enim corrigis) quod ego *debuissem*, ut ais, *cum apostropho* κικλήκατ' pro meo κικλήσκετ' adhibere? Tune tam pessimè velles me docere linguam Graecam? At jam in vitiis Typographicis censuisti κίκλησκα pro κίκλησκον· O lepidum caput, sed sine cerebro! Ergo non intelligis ipse quod scripsisti antea! Nescis te in sequentibus ab eo κίκλησκα (quod vis ibi corrigere in κίκλησκον) deducere κικλήσκατε? licet & hoc mutes in secunda epist. in κικλήκατε. Amabo te, Lector, quid de his dicam? Fingit & refingit P. Francius, & magis magisque se per stupidam ignorantiam suam irretit. Equidem si unquam *sceptro Paedagogico* utendum mihi esset (quo utique nunquam usus sum) in eum uterer, qui talia effutiret,

qualia tu, Franci, inaniter garris. In toto Homero, vel aliis quibuscunque ſcriptoribus antiquis non reperies, vel κίκληκα, vel κεκίκληκα, vel κικλήκατε, quum Graeca planè non ſint, ut ſupra oſtendi. Hoccine, o bone, *ad ſtudia ſeveriora digredi* ibidem adpellas. Certè ſi tam ἀνίπλοις χερσὶν accedas,

—— *Haec tu tangendo ſacra profanas.*

Pudeat, pudeat te, quod quum *Grammatizare* te velle profiteris, tam turpiter te das, nec modò peccas contra vulgares Grammatices regulas, verùm etiam tanquam re bene geſta exſultas, imò inſultas mihi, nihil prorſus vitioſi, ſed ſecundum ſolenniſſimum uſum loquenti. Ipſe indignationis meae juſtiſſimae impetum reprimo, optime Lector, qui intolerabilem hanc inſcitiam, & inſolentiam illepidi hominis ſatis ſuperque, ſi advertas, intelligis. Sed nec vel ita ineptiſſimis ſuis gerris, & injuriis contentus eſt nugaciſſimus meus Cenſor, quin inſuper in eadem hac animadverſione mendacii me inſimulet, quod Clariſſimum, mihique, vel illo ringente, amiciſſimum, Perizonium, plus ſemel ad Profeſſorium munus Leidam vocatum eſſe innuam. Si alius forem, aliud tuis his, Franci, jejunis argutiolis debitum reſponſum reponerem. Nunc mite hoc & blandum habe: Qui pollicitationibus, & non contemnendis promiſſis plus ſemel ſollicitatur & invitatur, dicine ille vel ſano, multo magis poëtico, ſenſu poteſt plus ſemel vocari?

VI. Εεσσόμενον) Veriſimili, fateor, ſpecie carpere poſſet Francius hoc ἐεσζόμενον, niſi ipſe eam licentiam (qua ſuperfluum ε initio additur) concederet pag.

 Epiſt.

Epist. suae I. XXX. Sciendum verò est, nihil hîc à me factum adeò insolenter, ac persuadere Lectori Noster tentat. Plusculis sane vocibus Poëtae Graeci, non modò alicubi in medio, sed initio superfluum ε adjiciunt: exempla passim obvia; sic enim apud Homerum ἐελπόιμην pro ἐλπόιμην, Il. Θ vs. CXCVI. & alibi. Εέλπεται pro ἔλπεται saepissimè. ἐείκοσι pro εἴκοσι passim. ἔω pro ὦ. ἐεισαμένη pro εἰσαμένη· ἔησθα pro ἦσθα· ἐέργει pro ἔργει. ἔειπε pro εἶπε· ἔην pro ἦν· denique quod proximè τῷ meo ἐεσσόμενον accedit, ἐέσσατο pro ἕσσατο apud Homerum Odyss. Ξ. Ex his & plurimis aliis colligas, nihil enorme vel absurdum à me fieri.

VII. Καὶ μὴ πείθεσθαι δύνατο) *Tria in his tam pauculis verbis menda latere* Lectori suo adfirmat Noster, vel potius adfirmavit; neque enim adhucdum eum id facere puto, cum duo ex his tribus jam supra ex plus quam decem exemplis antiquorum Poëtarum vindicavi, & adrogantissimum Censorem convici. Restat δύνατο, super quo videbimus infra post absolutas has animadversiones.

VIII. Λυκαίε Φελσίε) Verissimè *Lycaeum* apud Graecos pariter & Latinos plerumque primam habere correptam, non ego negabo: qui tamen producat, auctoritatis idoneae praesidio non destituitur. Sufficit mihi Orpheus in Argonaut. vs. MCCVI.

Λυκαῖον ποτὶ χέρσον ἁλισεφέας τε θερέπνας.

IX. Τόδε χ᾽ ὑμῖν κρᾶνεν ἐέλδωρ) Licet ὑμῖν apud Homerum inveniat, nihilominus carpit Francius, quia dubitat, *si genuina aliâs lectio sit.* Et ego dubito,

num

num illud *aliâs* apud Ciceronem & similes optimos, eo sensu, ac Censor meus capit, facilè inveniri possit: dicendum fuit *alioquin*, vel *caeteroquin*. Non hîc modò, sed saepe alibi illud *aliâs* secus usurpat Noster. *Aliâs* significat *alio tempore*; nec aliter apud probatos invenitur; ut dudum docuit praeter reliquos Scioppius. Sed alius hîc latet anguis in herba; meum κράνεν, *nec apud Homerum, aut alium quempiam se legisse unquam recordatur*. concedit tamen analogicè esse Graecum; primam verò syllabam produci, ut ego feci, negat. Ego ad hanc verbosam animadversionem nihil aliud, quàm me non capere hunc ratiocinandi modum; dicis te non recordari lectum a te τὸ κράνεν, nihilominus statuis primam ejus brevem: quod quo jure tam audacter dicas, quum α saepissimè sit commune, ipse videris. Κράνεν mihi est tertia aoristi primi, pro ἔκρανεν, a κραίνω· Certe Aeschylus in ΕΠΤΑ ΕΠΙ ΘΗΒ. novit κράνοι illo in Iambo:

Πύργοις ἀπειλεῖ τοῖς δ', ἃ μὴ κράνοι θεός.

Ubi quum κράνοι in quinto pede locatur, α potest aeque produci ac corripi. Sed, age, corripiatur α in κράνοι, est enim aoristus secundus. Quid tum? Meum κράνεν est aoristus primus, cujus primam producendam esse, satis liquet, quum pro eo Attici (ut jam ipse dixit Censor) dicunt κρῆνεν. Dum verò, te juvat Professor, *cum grammatico grammatizare*, vellem paullo melius *grammatizasses*, quam ut in puerilem contra grammaticam errorem impingeres, ubi dicis: *Ab eo igitur* (nempe κραίνω) *est* κρῆνον *Imperativo Medio, pro quo* κρήηνον *Homerus*. Tibine κρῆνον *est in Imperativo Medio*, quod omnibus grammaticis, ipsisque Graecis est in Imperativo Activo, in aoristo

nempe

nempe primo, ut ab ἔτυψα in Activo, est in Imperativo itidem Activo τύψον. Haec jam scripseram, cum ecce cogito, Francium illud correxisse in Epistola II. Ergo remittatur hoc ipsi, suum ipsius vitium corrigenti, nam id a Typographis commissum esse, credat Iudaeus Apella.

X. Τόνδε, Διὸς κοῦραι, Μοῦσαι, Χάριτές τε γλυκεῖαι) Ita pro me distinguit hunc meum versum. Gratia tibi, officiosissime Franci. Sed dum haec λεπτομέρεια in talibus carpendis placet, i, planissimus campus acutum ingenium tuum ostendendi aperitur, dum mille talia in antiquis poëtis (quos eruditissimi Viri summa caeteroquin cura luci dederunt) castiganda, & restituenda invenies: sic mendacii convinces illos, qui praeter Carmina & Orationes nihil te publico praestare, audaculi praedicant.

XI. Ιλαρῷ δεξιόωσαι θυμῷ) *Quis unquam primam in* θυμὸς *corripuit*, rogat ille; ac si tantum Poëtam non oporteret hoc didicisse ex Orpheo in Hymno Iovis Tonantis:

Ἀλλὰ μάκαρ θυμὸν ὄβριμον ἔμβαλε κύμασι πόντου.

Quod si primam in θυμὸς planè non liceret corripere, non ita nomen Θυμόιτης in metro posuisset Homerus, ac fecit Iliad. Γ vs. CXLVI.

Οἱ δ' ἀμφὶ Πρίαμον καὶ Πάνθοον ἠδὲ Θυμοίτην.

XII. Φῶς δ' ὅδε) Quid tandem non perstringet & vitio vertet ὁ οὗτος Noster? Φῶς hîc lapsu typographorum circumflexum est, cum gravem deberet habere accentum. Sed commoda scilicet haec erat, nec sine damno

praetermittenda, occaſio cavillandi amiciſſimum mihi Perizonium. Sed heus tu, accurate Vir, quum hîc & alibi vitia verè typographica, tanquam per ignorantiam à me ipſo commiſſa, tam ſeverè caſtiges, oportuit ſanè meliorem adhibuiſſe curam, ne ipſe hoc criticum ſcriptum innumeris ſcatens iſtiusmodi typotheticis erroribus, exhibuiſſes: quod multo magis fuerat cavendum in meo, quod prelo iterum ſubjeciſti, carmine. At, dices, correxi in ſecunda Epiſtola, illa quae in prima erant commiſſa. Vidi. Ergo cum αὐτοφόρῳ pag. VI. ſcribis pro αὐτοφώρῳ, (quippe quod ſit à φὼρ) & pag. XXXI. συνόνυμα pro συνώνυμα, ſunt tua vitia, neque ab Typothetis commiſſa.

XIII. Σὺν κροτέοις καὶ θαύμαſιν) Nihil certè hîc contra uſum conſuetum pecco, dum κροτέοις dico pro κρότοις. Neſcis, Franci, an diſſimulas potius, ſicut ε (ut ſupra vidimus) ſaepe praeponitur ſuperfluum, ita & in medio inſeri? Sic pro κενὸς ſaepiſſimè κενεὸς, ἀδελφεὸς pro ἀδελφὸς apud omnes paſſim. Ex quibus liquet, non adeo inſolenter id in κροτέοις olim à me *juvene* factum eſſe. Ago etiam gratias, mi Doctor, quod *obiter docere* me dignatus fueris verba Auguſti mimum vitae ſuae finientis, Δότε] ἓν κρότον. At quo jure tuo potentiſſimi Caeſaris verbis ſuperaddis àliquid? dixit enim Auguſtus ſimpliciter, Δότε κρότον &c. referente Suetonio cap. XCIX.

XIV. Θειατρικὸν βαίνει σεμνοπρεπῶς ἐφ' ἕδος) Vide, quaeſo, Lector, & judica, quàm ineptit Noſter, imò potius ſugillat, dum ait, *Suggeſtum* Profeſſorium à me adpellari *Theatrum in quo comparent hiſtrio-*

 *nes,*

*nes*; atque adeo me hanc oratoriam actionem innuere esse *mimicam*. An ergo omnes Graeci Δημαγωγοὶ fuere *Histriones*, qui utique in *theatro* verba ad populum fecere? Perversissimè, mi Franci, tu de theatro Romano intelligis, quod ego de Graeco, potissimùm in Graeco carmine. Quare omnino nihil secus agere mihi videor, dum dico in istud εἶδος θεατρικὸν Professorem, Reip. Literariae plurimum lucis adferre vel apud exteros existimatum, scandere eo tempore, cum pro frequentissima concione inauguralem habiturus est sermonem. Iudicet praeterea aequus Lector, quantopere tu, qui alios negas *intelligere augustum illud* σεμνοπρεπῶς, & τὸ πρέπον, ipse τὸ πρέπον videaris intelligere, qui ferme quinquagenarius in hominem juniorem tantam effundis bilem.

**XV.** Εἶτα λιγύφθογγόν τε καὶ ἱμερόφωνον αὐδὴν) Ignosce, precor, ignosce, clementissime Franci, quòd hîc verba usurpem, quorum vim, dulcedinem, & gratiam tu solus intelligis, & de quibus alii (stipites scilicet & *lapides*) ne vel minimum perceperint, vel *fando audierint*. Ignosce, inquam, peccanti, & *nihil proprii tibi relinquenti*. Sed dum bona adeo, & blanda loquor verba, hanc mihi gratiam vicissim concede, ut persuadearis αὐδὴν typographico mendo pro αὐλὴν excusum. Quid enim proclivius, quam ut erectum λ secus pro δ ponatur? Novisti, puto, millies ferme apud poëtas hoc vocabulum, diphthongo resoluta in υ longum, occurrere: unum & alterum dabo tibi specimen. Homerus cum passim alibi, tum Iliad. A. vs. ccccxcii.

Ἔυθι μένων᾽ ποθέεσκε δ᾽ αὔλήν τε, πόλεμόν τε.

Hesiodus in Scuto vs. CCCXLVI.

Κύκνος δ᾽ ἱππόδαμος καὶ Ἄρης ἀκόρητος αὔλῆς.

adde vs. CCCCXXXIII. CCCCLIX.

Jam etiam vides, credo, quàm verè scilicet dixeris *me insigniter contra leges metricas peccare*, dum αυ in αϋ, ut υ producatur, resolvo. Nec in eo magnopere *peccare* mihi videor, quod adhibeam poëticum vocabulum, quod licet de Heroibus in bello (nam te id continuo oggesturum sentio) saepè sumatur, non utique semper: nec certè in hoc Orphei de Lapidib. ubi de Ostrite:

Ἐξαπίνης ὄρσῃ νεογιλȣ̃ παιδὸς αὔλήν.

XVI. Αὔλὴν γλῶσσα λύȣσ᾽ ἀνθεῖ ῥήμασι θελξινόοις) Dubitat hîc Francius, an Λύειν φωνὴν Graecum sit; deinde an γλῶσσα rectè dici possit ἀνθεῖν ῥήμασι. Λύειν & Φωνὴ quin ambo Graeca sint, non puto eum dubitare. At Λύειν φωνὴν quin rectè dicatur cur dubium erit, cum intelligam de voce, quae tacebat, & quasi constricta erat, erumpere & eloqui gestiente? Sic certè passim Homerus usurpat λύειν de equis & navibus, illis ex stabulo, his ex portu solutis & emissis. Tanto magis, quum λύειν & ἱέναι parum differre sint statuenda; & Hesiodus Θεογ. vs. LXV. LXVII. & alibi dicat ὄσσαν ἱεῖσαι, *vocem emittentes*. His adde, quod ἀφιέναι φωνὴν saepe apud Graecos dici, Henr. Stephanus in Thesauro satis ostendat. Quin Latini *Laxare vocem* simillimo modo dixere: vide Justinum lib. XLII.

 cap.

cap. IV. Quantum ad id, qnòd γλῶσσαν dicam ἀνθεῖν ῥήμασι, quem *Hellenismum mirum* vocat Noster; non utique hic *Hellenismus mirus* & novus est, nisi soli P. Francio, qui nondum didicit τὸ ἀνθεῖν saepissimè idem esse quod *abundare*, *foecundum esse:* ut sic lingua, quam ajo eloquentem, dicatur foecunda verborum & rerum utilium; neque aliter intelligi me volui. Ita certè Lucianus ait, ἀνθεῖν ἐπιθυμίαις, *abundare cupiditatibus*; & Dionysius Halicarn. lib. 1. ubi agit de antiquis Italiae populis, & propriè urbibus Aboriginum; Ανθούντων ἀνδράσι τῶν χωρίων. ubi certé ἀνθεῖν nullo alio sensu, quàm per *abundare* exponendum est.

XVII. Ρώμη παγκρατέουσα, καὶ Ελλάδος Ελλὰς Αθῆναι) *Versus*, ait candidus Criticus, *non malus*, *sed ex Anthologia desumptus totus*. Ingenué equidem fateor, si versus hic ex Anthologia sit desumptus, hoc non de industria, sed casu factum esse. Putem verò credere meum Censorem, me saltem aliquando audivisse, Romam fuisse orbis *Imperatricem*, atque adeo παγκρατέουσαν, ut & Athenas vocatas esse τὴν τῆς Ελλάδος Ελλάδα passim: quoniam hae cum Lacedaemone fuerunt duo Graeciae oculi. Casu ergo potuit contingere, ut his duabus loquendi formulis compositis, bonum potuerim *consuere* versiculum.

XVIII. Εσθλὲ Πελλζωνίδη, πιςὲ παρθινετὰ) Cur perstringat hunc versum Amstelodamensis Apollo, satis video; quia nempe Πελλζωνίδη inseritur; & sic paullulum numerositati detrahitur: quasi verò apud antiquos poëtas, Graecos & Latinos, non innumeri istiusmodi versus occurrant. Adde, quod ad proprii alicu-

alicujus nominis insertionem, non tantopere, ut alioquin solent, de numerositate versuum solliciti fuisse videntur antiqui; quod pluribus ostendi posset. Quin Ovidius lib. IV. de Ponto El. XII. satis probat, se parum numerositatem curaturum fuisse, si *Tuticani* nomen, non repugnante lege metrica, carmini Elegiaco potuisset insuere; ait enim,

*Quo minus in nostris ponaris, amice, libellis,*
*Nominis efficitur conditione tui.*

Mox subjungit:

*Lex pedis officio, fortunaque nominis obstat;*
*Quaque meos adeas est via nulla modos.*

Non ob numerositatem servandam omisit Naso nomen Tuticani, sed quia primâ longâ, secunda brevi, tertiâ iterum longâ existente, nullus locus isti nomini erat in illa sua Musa, quae

*—— per undenos currere sueta pedes.*

Sed aliud hîc, & acrius telum in me vibrat ὁ τοξότης (ut & in eo etiam Apollini conveniat) Ego *dolere* dico meum Πελζωνίδην *fugientes literas* (non simpliciter *dolere literas*, ut sinistré meus interpretatur Censor) *& adniti quo revocaret*. Vbi simpliciter orationem innuo, quam tum de humaniorum studiorum usu & utilitate habuit Vir Celeberrimus, qui cum aliis hujus saeculi luminibus imminentes caeteroquin his studiis nebulas discutit; pessimam in partem exponit Noster, quasi illud dicens, malè gratus forem *erga Magistrum meum*, quem ego potius Doctorem

 meum,

meum, optimè de me, & omni juventute meritum adpello, & ſuſpicio, dum ſpiritus hos regetartus. Siccine invidiam etiam apud amiciſſimos mihi, accendere in me moliris, Franci?

Ω Πέπον, ὐκ ἄρα πω δολίης ἐπιλήθεο τέχνης;

Unum illud gaudeo, benigniorem hujus dicti mei, nihil invidioſum habentis, interpretem fuiſſe Eruditiſſimum illum meum quondam Doctorem.

XIX. Ελλαδικῆς τε καὶ Ρωμαϊκῆς) αι ſequente conſona breve hîc iterum ut vitium notatur; quod idem ter, quater, deinceps fit; ut oſtentetur ſcilicet numerus. Sed haec ego vitia omnia ſemel, quod ſatis erat, ſupra in Cenſorem meum eſſe transferenda abundè probavi.

XX. Η μὶν Διὰ τεοῖς Πειθὼ ςομάτεσ(ιν ἐφίζει) Απροσδιόνυσα ait Noſter haec a me dici, de Profeſſore ſcilicet Hiſt. Linguae Gr. & Eloq. quia illi infenſus eſt; quae juſta ſatis cauſſa eſt. Condones mihi quaeſo, Franci, ea lege ut in poſterum illud de te uno ſim dicturus, quippe qui redivivus Plato & Cicero in terris exiſtis ſcilicet.

XXI. Καί μιν ἐγὼ θεράπων Μυσῶν, &c.) Illud καὶ μιν cum verè agnoſco vitium typographicum eſſe pro καὶ μὲν, minus culpae committo quàm tu, Perfectiſſime Orator, Λόγος ἐνlάφιος pro ἐπιτάφιος pervicaciſſimè contendebas vitio typographico factum, quum jam antea te rectè ἐντάφιος ſcripſiſſe adfirmaras; de quo alibi videbimus. *Laudares hîc* inſuper *fortunas Apollinis*, ſi mei ſimiles *haberet ſacerdotes*. Quid hîc iterum, quàm ut rogem, velis ignoſcere, ſi quid men-

mentem calamus praecucurrerit, dum me quoque *Musarum & Apollinis sacerdotem* scripserim, tibi soli hoc titulo conveniente.

XXII. Καίπερ ἐῶ μὴ Τειρεσίας, Κάλχας τ' εὖ εἰδὼς ) In miseros hîc iterum carminis mei typothetas (ego enim levissimum hoc vitium eorum, non meum esse dico) κρίσιν suam exercet accuratus Noster, quod ἐῶ pro ἔω fecerint. Quum ita λεπτομερεῖν te juvat, amice, oporteret ut Professoria auctoritate, quae virga vel ferula forte non indiget, tuorum scriptorum typothetas moneres, ut dum tua excudunt, tantum vitiorum stabulum, quod relinquunt, melius purgarent, quo minus te, minutias has in aliis castigantem, deridendum praebeant. In eodem versu non placet Critico Francio Κάλχας τ' εὖ εἰδὼς in fine: quasi non similium versuum Spondaicorum darentur apud probatos exempla; praecipuè ubi εὖ εἰδὼς versum claudit. Tam diligenter se Homerum lectitasse declarat noster, qui nescit illud εὖ εἰδὼς in fine versuum occurrere; & quia illud nescit, continuo id *durum atque horridum* dicit ille *durus* atque *horridus*. Ut oculis tuis conspicias, en ex eodem *eloquentiae & sapientiae fonte* Iliad. Δ vs. cxcv. & ccv.

Ὅν τις ὀϊστεύσας ἔβαλεν τόξων εὖ εἰδώς.

Jam *horridum & durum* dicas etiam Homerum, qui non in his modò, sed & in versu cccix. εὖ εἰδὼς in fine locat:

Ὣς ὁ γέρων ὤτρυνε πάλαι πολέμων εὖ εἰδώς.

Quid

Quid modeſtius hic addere poſſum, quàm voluiſſe etiam Noſtrum aliquid conjicere in chartas? In magnis nempe voluiſſe ſat eſt.

XXIII. Ἔκ τοι ἐρῶ, τόδε καὶ &c.) *Hic verſus*, ait meus Ariſtarchus, *ut & ille qui ſequitur*, *bonus eſt*, *& bene Graecus*; cauſſam dat, *quippe uterque ex Homero deſumptus*, propterea *Furem manifeſtarium* deſignat: miror quod non lictorem aliquem immiſerit, qui *furem* hunc deprehenderet. Sed, bone Vir, putasne jam te mihi aliud quid objicere, quàm cujus tu toties, & optimi quique recentiores poëtae rei eſtis? Fateor ex Homero haec paucula mea eſſe: quidni & ego aliquid, quod concinnum & ſuo loco ponitur, ex Homeri fonte haurirem, unde, ut & ex aliis Graecis, antiquorum pleroſque integra ſcribendi argumenta, & modos deſumpſiſſe, notum adeò eſt quàm quod notiſſimum. Quin ſpeciatim Homerum tam largum fontem agnoſcit dulciſſimus ille, quem noſti, unde reliqui poëtae pleraque ſua egregia petierunt; ita nempe ille,

*Adſpice Maeoniden, à quo ceu fonte perenni*
*Vatum Pieriis ora rigantur aquis.*

Sed hos, quos *Homero ſublegerim verſus* aìs me ex *bonis malos feciſſe*; quum paullo ſuperius dixeras eos eſſe *bonos*, *& bene Graecos*. Quam egregiè tibi conſtas! Quum tamen impudenter adeò *Furem manifeſtarium* adpellas; illud quippe meum *furari*, *non imitari eſſe*; vide quaeſo, ſi jam oblitus ſis, quantus fur tu jam olim fueris, qui in tuo illo Epicedio (quod ex ejuſmodi furtis *conſutum* eſt) pag. XXVI. ita,

*Vixit*

*Vixit, quemque dedit cursum Natura, peregit:*
*Et non parva Viri sub terras ivit imago.*

Non ovum ovo magis simile est, quam haec illis Aen. IV. apud Virgil. vs. DCXLIV.

*Vixi, & quem dederat cursum natura, peregi:*
*Et nunc magna mei sub terras ibit imago.*

Sic pueri facerent, incipientes ποιηματίζειν. Quid? quod recentioribus non peperceris in eodem illo Epicedio, ubi pag. XI. Sannazarium depilare nihil dubitans, ais,

*——— Sic solio Deus infit ab alto.*
*Prompte vigil, pars militiae pulcherrima sanctae.*

Ad verbum paenè ita Sannazarius cum lib. I. de Part. vs. LXI. tum lib. III. Nisi quod in aliis reprehendit tam severè Francius, id a se arte & *summo cum judicio* fieri, velit nobis obtrudere.

XXIV. Ευλογίας φήμην δόξαν τε, σὺ ἥν ποτε εἶχες) Ne haec etiam praetermittenda fuit occasio scomma aliquod jaciendi in Virum Celeberrimum, & me, qui haec verba meritissimè protuli. Credo ex Cynicorum secta Nostrum esse, qui nunquam non importunè adlatrant. Praeterea ὁ λεπτομερέστατος Censor comma hîc pro more reprehendit. Si vellem ipse quoque κομματίζειν, contenderem comma rectissimè positum; *Eloquentiae famam & gloriam, quam tu olim habebas, &c.*

XXV. Αρχαίην ὀράσεις) *Secundam* in ὀράσεις *longam esse apud bonos scriptores* adfirmat Poëtarum summus:

ſed ſi huic adfirmationi nihil auctoritatis dem, an aegrè feras? Atqui jam probavi, ais, ex Homero duobus locis: ego verò nego te quidquam probaſſe, niſi quod ᾶ ex αε contractum ſit productum; nihil hoc ad rem, erudite Doctor; nam in meo ὁρμάσεις nulla eſt contractio; ſi enim foret ὁρμάσεις contractum, ac propterea α productum; idem eſſet in ἀντισπάσῃς, cujus penultimam tamen corripit Aeſchylus in Prometheo vſ. CCCXXXIX. ſimiliter antepenultimam in ἀντιασαίμην corripit Homerus Iliad. H vſ. CCXXXII. ita α in γελάσω breve eſt in Anthologia lib. I. cap. XIII.

Πῶς ἅμα σοὶ κλαύσω, πῶς ἅμα σοὶ γελάσω.

Nam ſi in ὁρμάζω ſit contractio, itidem erit in ἀντισπάζω, ἀντιάζω, γελάζω; cujus contrarium tamen vidimus. Quamvis ego haec non adferam, ut contendere velim ὁρμάω per omnia illis convenire; ſed oſtendere libuit meum Cenſorem, intempeſtivè citando Homerum, nihil probaſſe; nam in ὁρμᾶται & ὁρμᾶτο ſit contractio.

XXVI. Κοσμεῖται κορίτισκος ἐπεί σε &c.) Illud κοσμεῖται in ſignificatione Activa videtur Noſtro inſolens, ac novum. Si bene eum intelligam, putat τὸ κοσμεῖσθαι in forma Media non habere ſignificationem Activam; in quo admodum eum falli, docuerit illud Homeri Iliad. B ubi deſcribitur Κατάλογος νεῶν.

Τῶν δ᾽ ἐξηγείσθω κοσμησάμενος πολιήτας.

XXVII. Τὼ θεὰ τετθοῖσιν &c.) Quo jure, qua auctoritate corripiam ultimam in θεὰ rogat ὁ δεῖνα, & contumelioſè ait, ſe mei *pudere*. Ego verò (ut

tibi, quietis meae, & meliorum ſtudiorum turbator, aliquid reſpondeam ) nego me corripuiſſe ultimam in θεᾶ; ſed illud per contractionem feci monoſyllabum. Nihil autem hîc rurſum fit, quàm quod familiariſſimus poëtarum mos fert; qui ſicuti σφέας millies, ἕως & ἐᾷ utuntur ut monoſyllabis, ita & θεοὶ (quanto magis hoc in θεᾶ licitum?) in unam ſyllabam contrahunt: Homerus Iliad. A vſ. XVIII.

Ὑμῖν μὲν θεοὶ δοῖεν ὀλύμπια δώματ᾽ ἔχοντες.

Niſi velimus potius ut οι in θεοὶ hic corripiatur, vel ſequente conſona, ut & ſupra docuimus pag. XXIII. Utique θεῶν monoſyllabῶς habet Heſiodus Θεογ. vſ. XLIV.

Θεῶν γένος αἰδοῖον πρῶτον κλείουσιν ἀοιδῇ.

Adde Sophoclem in Ajace Maſtigoph. vſ. DXCIX. Πρὸς θεῶν μαλάσσου μῶρα μοι δοκεῖς φρονεῖν. eſt Iambus, ut & ſuperius vſ. DXC. Idem Sophocles ibidem vſ. CCCCXC. contrahit θεοῖς.

Νῦν δ᾽ εἰμὶ δούλη· θεοῖς γὰρ ὧδ᾽ ἔδοξέ που.

Imo quis, qui vel ſummis labiis libavit poëtas, neſcit ἀπηύδα triſyllabum, ηὔδα & νηυσὶ diſſyllaba per contractionem uſurpari.

Jam me vel maximè pudet tui, Profeſſor, quod tanto ſtudio & fervore videris fuiſſe abreptus, ut quae *pueri* viderent clarè, tu, tantus heros, per coecum illum impetum tuum non videris. Adeò cavillandi & inſultandi inſana cupido oculos pariter & ſenſum quaſi eripit!

XXVIII. Λαμπτὴρ σέο καὶ μέγα φάος ) En inſultantem Francium meum! *Turpiſſimum*, inquit, *hoc*

*mendorum omnium mendum eſt*, quia primam in φάος produxi; quum natura ſua ſit brevis (quod quomodo oſtendatur ab ipſo, mox videbimus & ridebimus) & ob auctoritatem repugnantem. Scio equidem, amice, primam in φάος ſaepiſſimè corripi; non tamen adducor ut credam, aliquem *turpiſſimum mendum* committere, qui producat; & quidem ob ſequentes cauſſas, quas ſaltem, precor, placidè excipias; & iram tuam in ea, quae tum ſequentur, differ. Primò quum φάος in plurali naturaliter habet φάεα, deprehendes primam in φάεα paſſim produci. En exempla! Homerus cum alibi, tum Odyſſ. π. vſ. xv.

—— καὶ ἄμφω φάεα καλά.

Callimachus Hymno ad Dianam vſ. LIII.

Φάεα μουνόγληνα, σάκει ἴσα τετραβοείῳ.

rurſum vſ. LXXI. & in Lavacra Pall. vſ. XCII. ita & Moſchus Idyll. II. vſ. IV.

Λυσιμελὴς, πεδάᾳ μαλακῷ κατὰ φάεα δεσμῷ.

Sed jam audio dicentem te, quod ſicut φάος in ſingulari primam habet correptam, ita in plurali productam: aliud te docebit idem Callimachus Hymno ad Dian. vſ. CCXI.

Καλὴν Ἀντίκλειαν ἴσαν φαέεσσι φιλῆσαι.

In fragmento Heſiodi ex Pauſania:

Θηρώ τ' εὐειδῆ ἰκέλην φαέεσσι σελήνης.

Non

Non aliter ipſe Auguſtus in ſuo ipſius Iambo, quem optimum dicebat Thraſyllus, apud Suetonium cap. XCVIII.

Ορᾷς φάεσσι Μασγάβαν τιμώμενον.

Altera cauſſa, qua inducor, quod non pugnet auctoritati, qui primam in φάος producat, eſt, quod illa ſyllaba in compoſito παμφαὴς evidentiſſimè producatur Orpheo in Hymno Solis vſ. XIV.

Εὔδιε, παμφαῆ, κόσμȣ τὸ περίδρομον ὄμμα.

Quae de φῶς & φώς iterum inferuntur, non curo; jam ſupra actum de eo eſt. Aliud hîc eſt, in quo paullum morari lubet. Inter caetera, quibus oſtendat P. Francius primam in φάος corripi, hoc ait, *Adde quod vocalis ante vocalem ſemper eſt brevis.* Magne Profeſſor,

—— Ποῖόν σε ἔπος φύγεν ἕρκος ὀδόντων;

Tune, ubi Graecae Poëſi hîc ſimus involuti, & quidquid nunc dicitur, ad eam ſit referendum, ais *vocalem ante vocalem ſemper eſſe brevem?* Certè ſi ego hoc dixiſſem, magno emerem non dixiſſe. At, *ſupra*, ais, *hoc oſtendimus in* δεικνύεις. Nihil ibi oſtendiſti, niſi quod recitaveris verba regulae, prorſus ibi quoque intempeſtivae, nec quae facilè dici poſſet convenire Proſodiae Graecae; *Vocalis ante vocalem brevis eſt.* Hanc ſane plusquam puerilem ſententiam nihil vereris hic amplius confirmare adjecto τῷ *ſemper.* Quis vel minimus Graecarum literarum tyrunculus non novit, & ex familiari ſuo Voſſio quotidie haurit, regulam illam in poëſi Latina, exceptis paucis, ubique valere, ſed in Graeca plus millies

lies illam regulam generatim ita poſitam locum non habere? Nonne α ante vocalem infinitis in vocibus producitur? Quod probare, ſupervacaneum foret, nemine non, vel leviſſimè humanioribus his tincto, hoc ſatis ſciente. Annon η & ω, mille ſequantur licet vocales, natura ſua ſunt longa cenſenda, quamquam poëtae ſequenti vocali ~~producunt~~ corripiunt aliquando, uti & in ipſis diphthongis ſaepiſſimè faciunt? Annon denique ι & υ, vel ſequentibus aliis vocalibus, producuntur in pluribus vocibus; quapropter cenſentur cum α eſſe vocales communes, ſive ancipites? Non exigis, credo, exempla; ſi tamen velis, ecce tibi: ι producitur in Ανία, Δῖος, Ιὸς, Κίων, Κονίω, Λίην, Πίων, Τίω, & in pluribus aliis. υ producitur in Ενυὼ, Θυὰς, Θύω, Κυανέη, Μυὼν, Μύωψ, Πῦος, & aliis. Quid ad haec reſpondes, Profeſſor? An non pudor eſt, linguae Graecae Profeſſori tantam ignorantiam (quam quocunque te vertas, excuſare non poſſis) primorum elementorum objici, & rebus oſtendi, ab eo, quem per laſciviam, contumeliam, & linguae intemperiem adpellas *Magiſtellum?*

XXIX. Χ᾽ ἅτερός ἐστι Περιζωνίδης) *Durum hunc verſum, & auctore dignum* pronuntiat ὁ Πάμμεγας Francius. Quanti haec cenſura facienda ſit, videas, Lector, in iis quae ſupra ad ſimilem cenſuram diximus. Nihil hîc moror inficetum ſcomma, quod additur; quid enim aliud à convitiatore exſpectes?

XXX. Ἄνδρε δύω σπουδῶν Ζώνῃ ζευχθέντε ὁμοιῶν) *Alluſionem*, quae in hoc verſu fit ad nomen Perizonii, *putidam* vocat ſeverus Cato. Nihil & hîc miror vel moror (plusquam enim puerile eſt) *putidam* hanc cavillandi pruriginem.

XXXI.

XXXI. Σφίσιν ἀμειϐομένω) Longam esse primam in σφίζι negat videlicet, dum brevem eam ostendit apud Homerum, Noster ille Graecae poëseos peritissimus; brevem esse non nego; sed & longam eam vel unus hic ejusdem Homeri Iliad. B ccvi. versiculus satis arguat:

Σκῆπτρον δ᾽ ἠδὲ θέμιςας, ἵνα σφίζι βασιλεύῃ.

Quid? jamne incusas Homerum, quod ita scripserit, ut te talem & tantum oporteat hoc & alia à Magistello doceri?

XXXII. Κοιληθέντε φίλοιν ἁρμονίῃσι θυμοῖν) Excudi Noster permisit vitiosissimè κοιληθένωα. Sed hoc ipsi scilicet licitum est, quamvis asperrimè leviora in aliis exagitet. Iterum hîc primam in θυμοῖν brevem culpat, ut supra in θυμῷ. Sed ibi idoneam dedi auctoritatem; quare & illud mendum, quod ait *in pueris* meis *fore plectendum*, hîc quoque sublatum est. At tu, rigidissime, tibine omnia licere putas, vitio vertere, quod vitium non est? de *pueris* aliquid more tuo lascivè inspergere? Quod si illi viderint, quo jure haec à te fiant, vereor ne infami digito te sint explosuri.

XXXIII. Εξηγητὰ καλῆς) Nihil ad censuram proximè antecedentem (ubi Ελλαδικῆς τε καὶ Ρωμ. &c. castigatur) reposui; nam semel satis firmiter istud αι vindicavi: nec potuit me movere *asinini soni* contumeliosa objectio, quum satis sciam, quantopere ingenui & candidi Lectores istiusmodi illiberalem loquendi rationem laudare scilicet soleant. Ut verò in

in eodem loco cum Censore meo has animadversiones finiam, paucis respondebo ad duplicem illam caussam, ob quam non probatur correptum illud τα in ἐξηγητα, primo quia ponitur pro ἐξηγηται, deinde quod illud ἐξηγητα legisse se nescit Noster. Quantum ad primum, videat ipse, an ἐξηγητα pro ἐξηγηται ponatur: vult, credo, innuere illud τα contrahi ex ται quod cui persuadebit? Singularis, Dualis, Pluralis numeri singuli suas habent terminationes, nec eas ab se invicem mutuantur. Alteri illi caussae, quod nesciat se hoc unquam legisse, nihil plus tribuo; nisi putandum mihi foret, P. Francium esse Βιβλιοθήκην Ἔμψυχον, utpote qui omnes libros devorarit, & nihil nescire sit censendus.

Hactenus illa, quae Censori meo P. Francio per numeros etiam opponere libuit; qui verò numeros utrimque computarit, deprehendet ex quadraginta ferme vitiis, mihi objectis, restare quàm paucissima, ad quae in praecedentibus nihil respondi. Sunt verò Τύχη, Δεικνύω, Κτυπέω, in quibus dicor υ secus produxisse: Δύνατο, Κράτιστος, Ἔτραφε, in quibus itidem α productum culpatur. Vides ergo, Lector, summum sex esse, in quibus si quid vitii sit commissum, id consistere in eis vocalibus, quae infinitis in vocibus apud Graecos sunt communes; & de quibus non nisi jugi lectione, ac usu exercitatissimo aliquid certi potest statui: cui oppone, Carmen illud a me *juvene* in primis studiorum tyrociniis quondam esse compositum. Quantum ad δεικνύω, quod υ ibi sit correptum, quia vocalis est ante vocalem: hoc argumentum quàm futile sit, satis ostendi pag. XLIV. Adde quod, si υ in δεικνύω propterea foret corripiendum, eadem ratio obtineret in δακρύω & similibus pluribus; quod

quod contrà tamen invenitur in poëtis. Secunda enim in δακρύω aequè invenitur producta, quàm correpta; producit Moſchus Idyll. III. ỳſ. LXXVI.

Τίκα δακρύεις, αἰνῷ δ' ἐπὶ πένθεϊ τάκῃ.

Corripitur lib. I. Anthologiae cap. XIII.

Δάκρυε νῦν ὁ βίος ἔστ' ἐλεεινότερος.

In plurimis praeterea aliis vocabulis υ ſequente vocali producitur; quorum quaedam ſupra exhibui. De caeteris quinque, ubi partim υ, partim α produco, idem reſpondendum, quod in illis nihil aliud peccarim, niſi quod vocales frequentiſſimo poëtarum uſu communes, in his quoque vocibus ita conſiderarim. De δύνατο, cujus mediam produco, certum equidem eſt, quod α in ἐδύνατο, δύνατο, &c. corripiatur plerumque a poëtis. Si vellem tamen hic aliquid pro mea cauſſa adferre, poſſem adducere illud in Fragmentis Heſiodi ex Strabone, ubi non ἐδύνατο, ſed ἐδύναο, producto α legitur,

Εἷς γὰρ πελοτεύει, τ' ἐπιλθέμεν οὐκ ἐδύναο.

Sed ne animo videar obſtinato, largiar P. Francio, & concedam haec ſex modò ex fermè quadraginta, quae exprobrata ſunt, cenſeri poſſe vitia. Sufficit enim mihi nunc pluſquam triginta mihi objectos errores vindicaſſe, & in Cenſorem meum transferre jure meritiſſimo poſſe; de quo in capite ſubſequenti.

## CAPUT V.

*Quo successu & gloria Carmen meum Juvenile ab Professore quinquagenario sit castigatum. Vter nostrum plura in eo vitia commisisse sit censendus.*

POstquam absolvimus, quae dicenda nobis fuere ad severissimam, & asperrimam censuram, qua P. Francius Graecum meum juvenile carmen castigavit; e re nostra quàm maximè arbitramur fore, ut dispiciamus, primò quid de toto hoc negotio in universum sentiendum judicandumque sit; uter nostrûm plura hîc verè vitia commisisse censendus sit: deinde qua gloria Professor id aetatis stylum suum in exercitium aliquod ab studioso quondam *juvene* compositum, acuerit.

Quadraginta propemodum objecta mihi sunt vitia, quae omnia praeter sex, vitia neutiquam esse, satis superque, puto, commonstravi. Quid jam de illis plusquam triginta, quae vindicata sunt, fiet? Vtri haec imputabuntur? Carminis compositori, an acerbo & aspero Censori? Tibi, Lector, arbitrium permitto: quid verò ego sentiam, & quàm clementer cum inclementissimo agere velim, declarabo. Omnia, quae mihi objecta sunt, & ad quae respondi, divido in quinque partes; I. Prima sunt illa, quae sex numero sunt, quaeque contra leges syllabicas me fortè commisisse supra largitus sum. II. illa, quae vitio mihi data, non omnimodo contra Graecae poëseos naturam & indolem pugnare, satis me probasse, & adstruxisse existimo: qualia sunt Εσατόμβυον, Κεᾶνεν, Κροτέοις, Εξηγητά. III. Tertio loco pono vitia Typographica, quae, sicuti in omni paenè scriptione,

ptione, ita & in hac commiſſa ſunt; quae tamen mihi tanquam verè vitia ſeveriſſimè ſunt adſcripta, ut Φῶς pro Φὼς, Αὔδιω pro Αὔτιω, καὶ μιν pro καὶ μὲν, Εῶ pro ἔω, Ειρο-ροώντων pro Εισρροώντων. IV. Quartum locum occupant illa, quae a Cenſore meo partim invidioſè ſugillata, partim nimium λεπτομερῶς notata eſſe oſtendi; quales ſunt verſus ſpondaici, vel minus numeroſi ob inſertionem τοῦ Πελιζωνίδης; vel ubi commata non bene dicor diſtinxiſſe; vel ubi ex Homero aliquid mutuatus ſum; vel denique ubi, neſcio quid rigido Catoni non placens, adhibui. V. Vltimo loco complector illa, quae tanquam contra Graecam Proſodiam, uſum poëtarum, & omnem auctoritatem commiſſa, vel non rectè & ſuo loco adhibita, a P. Francio rejecta, exploſa & traducta ſunt, ſed a me ex ipſis poëtarum ſcriptis vindicata, validiſque auctoritatis idoneae fulcris confirmata, & munita ſunt: quorum en ſyllabum.

I. Κλυτὸς (*cujus primam ſecus produxiſſe dicor.*

XI. Αι (*decies in fine vocis, ſequente conſona, dicor corripuiſſe, adeoque decem in eo vitia commiſiſſe.*

XII. Κικλήσκετ' (*nullo pacto praeſenti orationi convenire poſſe arguitur.*

XIII. Λυκάιε (*primam hujus dicor ſine auctoritate produxiſſe.*

XIV. Εὐχομένῳ (εὐ *reſolutum in* υ *longum rejicitur.*

XV. Εὖ εἰδὼς (*in fine verſus culpatur.*



XVI. Θεὰ

XVI. Θεὰ (*ultima in hac voce correpta putatur, & damnatur.*

XVII. Φάος (*primam hujus secus dicor produxisse.*

XVIII. Σφίσιν (*primae hujus productio vitiosa dicitur.*

XIX. Θυμὸς (*primam hujus corripi, ut novum exploditur.*

Non puto aliquem fore qui existimarit (imo ne ipsum quidem Francium existimaturum puto) me inique agere, si illa novendecim, quae vitio mihi data, cum reliquis illis (quae paullò supra in divisione, secunda, tertia, & quarta classe complexus sum) vindicavi & adserui, de me in Censorem meum transferam. Etenim qui disertis apertisque verbis (omittam, animo aspero & acerbo) alicui quaedam ut verè vitia obtrudit; quae tamen contra vindicantur & adseruntur; utique ille omnia ista vitia, quotquot sunt, ipse commisisse haud temere dici potest & debet. Exempli gratia; qui damnat primam in σφίσι productam, quia Homerus corripit saepe; cumque evidentissimè ipsi ostenditur, eumdem illum Homerum eamdem illam syllabam producere; profectò non modò is, qui usurpavit syllabam illam longam, absolvitur ab isthac criminatione; sed & ipse criminator in vitium gravissimum impegisse dicendus est; utpote qui declarat, se usum istius syllabae non satis didicisse; ac insuper se onere invidiae gravat, quod iniquè alium accusarit. Similiter tu judica de caeteris. Nihil ergo est, quod non firmiter satis concludam, novendecim illa vitia, quae probavi vitia non esse, P. Fran-

cio

cio esse adsignanda; atque adeò P. Francium in Graeco isthoc juvenili carmine duplo plura vitia (praeter inanes illas λεπτομερείας, quibus integri versus, locutiones, & commata sugillata sunt) commisisse, quàm me, qui summum sex mihi esse agnoscenda, supra largitus sum.

Egregia profectò gloria Viro paene quinquagenario, & Professoria dignitate in tribus humaniorum studiorum partibus ultra viginti annos ornato! Quotiescunque rem hanc mecum ipse cogito, obstupescens haesito, quid potuerit illum eo usque abripere, ut tanto cum molimine censoria virga exercuerit exercitium aliquod juvenile, superioribus annis luci datum. Imo quotiescunque rem hanc mecum cogito, comminisci nequeo, quid Francii mentem eò impellere potuerit, ut tanta asperitate, insolentia, contumelia, grassatus fuerit in hominem *juvenem*; ubi ipse in ea ipsa non modò scriptione, sed & in aliis suis opusculis foedissima contra linguam pariter & poësin Graecam commiserit vitia, adeoque latus suum tantopere denudet. Etenim, quod praeprimis notandum est, si universa illa prope quadraginta, quae in juvenili meo carmine notavit Francius, verissimè vitia forent; adeone illa dedecori forent, & reprehensione digna, quum quondam ab *juvene* fuissent commissa, qui de die in diem se magis exerceat & erudiat? Praeterea quid juris, quid gloriae & laudis, in iis notandis, explodendis, & damnandis sumere sibi potest is, cui natu majori, & Professoris titulum gerenti, longè graviora, magisque enormia queant haud temerè objici? Tanto autem minus tale quid tentandum est ab eo, qui in ipsis illis, quas in alium tam morosissimè exercet, castigationibus plus vice sim-

plici labitur, vel contra prosodiam, vel contra ipsas leges Grammaticas, in istiusmodi negotio non certè negligendas. Contra prosodiam verò peccasse Francium ajo, quoties falsò dixit me errasse in syllabae alicujus usu: quod plusquam decies ipsi contigisse, supra ostendi. Contra leges Grammaticas, & receptas regulas, lapsum eum, probavi pag. xxv. ubi κεκάληκα memorat; quod quis Graecus unquam dixit? Rursus ubi a κικλήσκω format perfectum κεκίκληκα, vel κίκληκα, insigniter contra prima elementa peccat; ut ostensum ibidem. Aeque grave, & nulla venia dignum est id, quod vidimus pag. XLIV. ubi constantissimè adfirmat (in poësi Graeca versans) *vocalem ante vocalem semper esse brevem.* Quo dicto imprudentissimo, ajo P. Francium decuplo plura commisisse vitia, quàm mihi falsò adtribuit: quotiescunque enim apud poëtas vocalis ante vocalem reperitur longa (reperitur autem mille locis) totidem vitia is, qui tale quid audacter adfirmat, committere haud injuria censendus est. Sed nec existimet Professor, qui tam lascivo calamo invadit aliena, & quidem juvenilia, sua ipsius scripta ita omnibus numeris esse absoluta, ut ab omni justa reprehensione sint immunia. Quod quomodo sese habeat, sequenti capite gustum dabimus.

## CAPUT VI.

*Specimina gravissimorum errorum, quos P. Francius alibi in Graecis commisit.*

TAntum abest, bone Lector, ut ego lubenter alienis publicè carpendis & sugillandis manum unquam admovere proposuerim; ut potius modestia quadam, & liberalis ingenii facilitate conniverem, ac

tanquam non animadvertens praeterirem, si quid secus in aliorum scriptis deprehenderem. Etenim quis, qui ingenuus dici optat, non usque cogitet vetus illud, sed & verissimum verbum, Ἁμαρτάνει τε καὶ σοφοῦ σοφώτερος. Atque adeò quis tantum sibi tribuere velit, ut se etiam non aliquando labi, hallucinari, & cum bono Homero dormitare, jactet? Verùm ubi quis perspicit, sibi tam infensè, contumeliosè, & inclementer objici quospiam errores ab iis, qui non modò non laesi & irritati sunt, sed qui illos ipsos errores plurimam partem falso objiciunt; nec non qui ipsi in longè graviores impingunt; nihil profectô caussae esse video, cur non liceat & fas sit, idem illud jus in tam rigidos Catones exercere, eorumque scripta excutere, num omnia sic limata, ac polita ibi sint, ut nulli castigationi censenda sint obnoxia.

P. Francius, cum jam ante triennium ferme Graecum illud meum carmen vitiis undecunque scatere, audacter proclamaret, non dubitavit etiam tum id coram aliis Viris doctis profiteri: inter alios adfirmavit hoc Eruditissimo Gronovio meo; quem ait in Epistolae I. pag. x. *nihil* respondisse. Credo equidem Celeberrimum illum Virum forte *nihil* respondisse: quid enim respondisset de re, super qua nihil certi, nisi post diligenter excussas Poëtarum leges syllabicas (tale enim hoc negotium erat) statui potest? Quid, inquam, respondisset homini, perfricta fronte id adfirmanti, & se ita ex libris suis de Prosodia scriptis, adnotasse (nam toti carmini passim adnotationes suas addiderat accuratus Noster) declaranti? At verò ut *nihil* fortè ad animadversiones illas respondit Vir Clarissimus; ita certe in hanc sententiam locutus est, ut P. Francius potius favore me complecti & corrigere

vel-

vellet, quàm ita lascivè traducere; neque enim debere eum tam acrem esse in alienis, qui ipse nequaquam esset purissimus. Pro exemplo adtulit CL. ille Vir τὸ Λόγος Εντάφιος, quod P. Francius in Elencho Orationum num. XI. habet, & rursus in ipso Orationum volumine pag. CXLI. ut & in sequentis paginae vertice his literis, λόγ. ἐνταφ. Negabat Eruditissimus Gronovius, Graecum esse τὸ Λόγος Εντάφιος, nec ita in Demosthene, unde dicebatur desumptum, haberi. Contra contendebat Francius, & non modò Graecum esse, sed non aliter quoque haberi in Demosthene adfirmabat. Vrgente CL. Gronovio, & ut Demosthenem proferret, monente, escendit Ille in Bibliothecam, at cum Demosthene descendere non audens, incusabat Typographos; quod egregiè refutabatur, quum tribus diversis in locis eodem modo esset excusum. Ita haec olim mihi narravit CL. Gronovius meus, & ipse deinceps animadverti, disertè non modò in Orationum P. Francii Elencho num. XI. sed & pag. CXLI. ita scribi, *Cum Demosthenis λόγος ἐντάφιος recitaretur.*

Quum verò in eo jam versamur, ut quorumdam Adversarii nostri errorum specimina exhibeamus; quid, quaeso, Lector Graecarum literarum gnare, magis contra genium linguae Graecae pugnare potest, quàm ut λόγος ἐντάφιος dicatur? Non utique ita loquitur Demosthenes, qui verè & rectè habet λόγος ἐπιτάφιος. Toto, quod ajunt, coelo haec duo, ἐντάφιος & ἐπιτάφιος, differunt. Εντάφιος dicitur de rebus ad humationem ac exsequias pertinentibus, potissimumque de iis, quae unà cum defuncto quasi ἐνθάπτονται. unde etiam vestis sepulcralis vocata ἐντάφιος. Επιτάφιος autem propriè de iis, quae ad celebrationem & hono-

rem

rem defuncti fiunt; quales Decursiones Equestres in mortuorum ducum & Imperatorum pompis funebribus dictae ἐπιτάφιοι ἀγῶνες. itidem munera Gladiatoria in Romanorum funeribus hoc nomine adpellari possunt. Denique Laudatio funebris dicta Λόγος Επιτάφιος. Qui hunc λόγον vocat ἐνταφιον, ille pueriliter receptum usum confundit, turpissimam suam linguae Graecae ignorantiam prodens; nec non is idem committit vitium longè gravius illis omnibus vitiis, quae in Graeco illo meo carmine reprehendit. Qui verò hoc vitii Typographici velo velit obducere, vereor ne ab omnibus meritissimè sit deridendus.

Sed ne putes, mi severe Censor, hoc unum esse, in quo te erroris tui arguere queam: Catalogum aliquem conficere possem aliorum, ex quibus liqueret, quàm immunis scilicet sis ab justa reprehensione. Paucula modò proferre lubet, & ea quidem, quae Graecam linguam spectant. Latina in praesentiarum non adtingam, ne nimiis Lectorem, & te praecipuè obtundam.

In Carmine illo, quod adnexuit P. Francius Orationi *de Usu & Praest. L. Graecae*, pag. cxiv. ubi de Lugduno ejusque Academia quaedam essent praemissa, ita loquitur Professor:

Ἔνθεν ὁ Σκαλανὸς ἱερεὺς ἦν, ἔνθεν Ἀπόλλων.

Haud dubiè illud ἔνθεν hic significat *ubi*, vel *ibi*, alioquin nullus est sensus. At quis Graecus dixit *ubi*, vel *ibi* per ἔνθεν, quod *hinc* & *illinc* significat? Oportuit ἔνθα, quod *ubi*, *ibi*, vel *illic* notat; quodque Homerus (ut haec obiter addam) aliquando geminat, & ἔνθα καὶ ἔνθα dicit, cum de aliquo extenso & porrecto,

quod plurimum ſpatii occupat, loquitur; ut Iliad. H ỳſ. CLVI.

Πολλὸς γάρ τις ἔκειτο παρήορος ἔνθα καὶ ἔνθα.

Sunt verba Neſtoris, narrantis quemadmodum ingentis corporis virum aliquem ipſe juvenis interfeciſſet. Adprimè hoc Homericum exprimit mellitiſſimus Naſo lib. II. *Amor.* El. IV.

*Tu quia tam longa es, veteres Heroidas aequas,*
*Et potes in toto multa jacere toro.*

In eodem illo Franciano carmine pag. CXV. haec verba occurrunt,

Ουδαμὰ Εινσιάδης, οὐδαμὰ Δυσιάδης.

Hic bis οὐδαμὰ habet α breve in fine: in priori loco poteſt corripi ob ſequentem vocalem (qualis mos eſt poëtarum, ipſas quoque Diphthongos & vocales natura longas ſequente vocali corripientium) In poſteriori verò, οὐδαμὰ Δυσιάδης, corripi nullo modo poteſt. Cur autem? Ουδαμᾶ Doricè dicitur pro οὐδαμῆ, uti μηδαμᾶ pro μηδαμῆ. ergo α producitur certiſſimè; & non niſi admodum vitioſè, ac contra Graecae poëſeos naturam corripi poteſt. Adde quod Francius, cum debuiſſet circumflectere οὐδαμᾶ, gravem dedit accentum οὐδαμὰ, ne error pateret; quod quo jure fecerit is, qui in aliis tam moroſus eſt, non video.

Sed magis enorme eſt, quod in eadem ferme voce committitur p. CCXXXII. in Λόγῳ Προσφωνητικῷ, ubi Graeciſſans Francius ita loquitur, Καλὸς πανταχοῦ οὗτος (Ουηίδιος) οὐδαμῶς ἢ οἶμαι βελτίων, ἢ ἐν &c. Hîc ουδαμῶς uſurpat Noſter pro Latino *nuſquam*, quod certè novum & inau-

inauditum apud Graecos eſt. οὐδαμῶς ſemper in Graecorum ſcriptis eſt *nequaquam*, *minimè*, κατ᾽ οὐδένα τρόπον. Vnicum locum, ubi οὐδαμῶς cum genitivo uſurpatur, & pro *nuſquam* videri poteſt eſſe poſitum, ex Luciano memorat in Theſauro Henr. Stephanus; ſed non producit locum, quia cenſet eum corruptum pro οὐδαμοῦ, nam οὐδαμῶς nunquam pro *nuſquam* uſurpatur.

In eadem pagina (CCXXXII.) ait P. Francius, ἐν τῷ νῦν παρόντι, h. e. *nunc*. Non certè ita Graeci, qui ſimpliciter, loquentes de tempore, ἐν τῷ παρόντι, ſubaudito χρόνῳ. aliquando integrè ἐν τῷ παρόντι χρόνῳ. Poteſt tamen aliquis dici νῦν παρεῖναι. At hoc aliud eſt. Non ſunt haec, erudite Lector, ut pulcrè vides, commiſſa ſimpliciter contra leges ſyllabicas, ſed contra ipſius linguae Graecae indolem & genium.

Latinis ſuis Carminibus appendit quaedam P. Francius, quae vocat *Converſa è Graecis:* ſunt nempe quaedam Epigrammata ex Anthologia, Latino carmine ab illo reddita. Delibemus etiam ex his aliqua, in quibus ἀστοχίαν ipſius videre poſſimus.

Pag. CCLXVIII. in Epigrammate Leontii εἰς Αἴαντα hoc diſtichon

Ἕκτωρ γὰρ ζωστῆρα λαβὼν, ξίφος ἔμπαλι δῶκεν.
Τὴν δ᾽ χάριν δώρων πείρασαν ἐν θανάτῳ.

ita vertitur ab Francio:

*Priamides zonam, gladium Telamonius heros*
*Munus habet. letum id munus utrique dedit.*

Quid? *Deditne id munus utrique letum?* De Ajace hoc dici poteſt, quippe qui in gladium illum incubuit; unde ſequitur in eodem Epigrammate,

 Τὸ

Τὸ ξίφος εἷλ' Αἴαντα μεμηνότα. —— ——

Minimè verò zona Hectori *dedit letum.* Nihil illo absurdius. Hector congressus cum Achille, ab eo interfectus est, ut Homerus Il. X ℣ſ. cccxxx. & deinceps narrat. Pòst Achilles per contumeliam eum jam mortuum propria ipsius zona ligavit ex curru suo, & traxit circum Trojae moenia: quod ita in Epigrammate exprimitur:

—— —— Ζωστὴρ
Εἵλκυσε Πελαμίδην δίφρεια συρόμενον.

Quibus verbis illustrantur illa Homeri loco citato:

Αμφοτέρων μετόπισθε ποδῶν τέτρηνε τένοντε
Ες σφυρὸν ἐκ πλέρνης, βοέους δ' ἐξῆπλεν ἱμάντας,
Εκ δίφροιο δ' ἔδησε, κάρη δ' ἕλκεσθαι ἔασε.

Hîc non speciatim scilicet de zona Hectoris fit mentio, sed simpliciter quod loris Hector fuerit ad currum Achilleum revinctus. Rogas ergo, quî verba illa Epigrammatis

Τλῶ ἢ χάριν δώρων πείρασαν ἐν θανάτῳ,

de Hectore sint intelligenda, si zona Hectori non dedit letum? Vtique haec de Hectore non alio sensu, si quid ego sentiam, sunt capienda, quam quod Hector usum istius muneris (zonae scilicet, donatae ab Ajace) in morte, vel potius jam mortuus fuerit expertus; neutiquam vero quod ipsa zona vel mortem intulerit, ut gladius Ajaci; vel mortis caussa extiterit, sicuti balteus Pallantis caussa mortis extitisse Turno narratur ab Virgilio in fine Lib. XII. Aeneid. Tota illius rei historia prorsus alia est, nec quidquam cum illa de Hectore conveniens.

Pag

Pag. CCLXXI. vertitur Epigramma aliquod ἄδηλον, ubi ex perſona Delphinis in litus ejecti & mortui querela deſcribitur. Ait quippe Delphin, ſe per tempeſtatem ejectum, & deſtitutum eſſe in litore, ſepultum verô ab hominibus, atque adeo ſe majorem pietatem à terra, quam à mari, quod ſe genuerat, & nunc perdiderat, expertum eſſe. Vltimum diſtichon

Νῦν δὲ τεκοῦσα θάλαττα διώλεσε. τίς παρὰ πόντῳ
Πίστις, ὃς οὐδ' ἰδίης φείσατο συντροφίης.

ita Latinè redditur à Francio,

*Me perdit, quod me genuit. maris ecqua fides eſt,*
*Cum maris in media mergar alumnus aqua?*

Haec utique Latina Graecis non modò non ſunt congrua, ſed planè contraria: ſi enim ſuperior Egigrammatis iſtius reſpiciatur pars, ſatis adparet, Delphina ab hominibus in terra eſſe ſepultum: namque ait ipſe Delphin,

Ἀλλ' ἐπὶ μὲν γαίης ἐλέῳ τόπος. οἱ γὰρ ἰδόντες,
Εὐθὺς πρὸς τύμβον μ' ἔστεφον εὐσεβέες.

Sed nec poſtea in ultimo diſticho queritur Delphin ſe merſum eſſe, at perditum a mari, utpote à quo ſe dicat in litore deſtitutum. Quam εὐστόχως ergo hoc magnus Poëta vertit!

Pag. CCLXXVII. Epigramma ἄδηλον εἰς Σαπφώ,

Οὔνομά μοι Σαπφώ. τόσσον δ' ὑπερέσχον ἀοιδῶν
Θηλειῶν, ἀνδρῶν ὅσσον ὁ Μαιονίδας.

ita redditur a Francio:

*Sum Sappho, tantum reliquas quae vinco puellas,*
*Quantum tu reliquos vincis, Homere, viros.*

In Graecis clarum eſt, qua in re Sappho praeſtiterit reliquis puellis, nempe in elegantiis Poëticis; ſicuti Homerus in eadem arte praeſtitit viris. Ex verſione verò Latina nemo facilè diſcernat, utrum Sappho velit ſe *reliquas puellas vincere* τῷ λεσβιάζειν, an verò poëſi; quoniam interpretatio τοῦ ἀοιδᾶν, in quo tota res conſiſtit, negligitur ab Interprete. At dices, Sola mentio de Homero, cum quo ſe Sappho comparat, ſatis hanc verborum mentem declarat. Ego verò nego: quoties enim comparatio inſtituitur inter res plane diverſas, nec quidquam commune habentes? Poſſit nempe Demoſthenes comparari cum Homero, ut dicantur ambo aequali faſtigio ſupereminuiſſe reliquos, alter nempe arte poëtica, alter oratoria.

Pag. CCLXXXVII. Quis intellectum dicet ab Francio epigramma, iterum ἄδηλον, in celebrem illam Myronis Buculam,

Ἁ βοῦς ἁ τίκτουσ᾽, ἀπὸ γαστέρος ἔπλασε τὰν βοῦν.
Ἁ δὲ Μύρωνος χεὶρ οὐ πλάσεν, ἀλλ᾽ ἔτεκεν.

dum illud ita vertit,

*Concepit, peperitque hanc vaccam vacca, Myronis*
*Daedala non finxit dextera, ſed genuit.*

Non hîc agitur de certa aliqua vacca, ut dici queat *haec vacca*; ſed generatim primò ſtatuitur, quemadmodum vacca ab vacca ſoleat produci, nempe διὰ τὸ πλάσαι ἀπὸ γαστέρος, *fingendo in ventre.* Horum alterum πλάζειν, quod de manu artificis etiam dicitur, atque ideo ſupponi deberet in Myrone, hîc negatur: ſed alterum, quod erat planè ἀπροσδόκητον, imò ἀδύνατον, nempe γίγνειν, adfirmatur. Eſt elegantiſſimum. Sed nihil ſalis reſidet in verſione Francia.

Pag.

Pag. cccx. Epigrammatis ἀδήλου εἰς πηγὰς primum diſtichon

Ὠκεανοῦ θυγάτηρ καὶ Τηθύος εἰμὶ Νυχεία
Κρίνη. Τηλεβόαι γάρ με τόδ' ὠνόμασαν.

ita Latine reddit Francius,

*Oceani ſoboles ego ſum Tethidiſque Nychaea.*
*Hoc me appellarunt nomine Teleboae.*

Vides, Lector, id quod in Graeco eſt Τηθύος, Noſter reddit *Tethidis*; in quo duplicem graviſſimum errat errorem; primò peſſimè ſcribit *Tethidis* pro *Thetidis*: namque eſt Graecè Θέτις. qui error utique *in pueris foret plectendus*. Deinde contra vulgatiſſimam fabularem hiſtoriam oppidò turpiter impingit, dum *Thetida* interpretatur, quod in Graeco eſt *Tethys*. Haec verò duo nomina immenſum quantum differunt; altera enim (Tethys) eſt avia, altera (Thetis) eſt neptis, nupta Peleo. Nam ſi Apollodoro ſtandum, Thetis eſt filia Nerei & Doridis; Nereus & Doris nati ex Oceano & Tethy. Propterea Hyginus Thetida paſſim vocat *Nereida*; & ſtatim ex Catullo videbimus Thetida dici neptem Tethyos. Quod quum ita ſit, quis hanc tam ineptam & inſulſam verſionem legens, credat eam ab Profeſſore humaniorum literarum eſſe profectam? Vt verò videas, Lector, hoc excuſari non poſſe nomine vitii vel typographici, vel ab Auctore per oſcitantiam commiſsi: *Thetis* pro *Tethys* in verſu uſurpari nequit, quum repugnet ſyllaba prima, quae in *Thetis* brevis eſt, nam Graecè eſt Θέτις. in *Tethys* autem longa eſt, quippe dicitur Τηθύς. Vtriuſque nominis in metro diſcrimen cum undecumque

que ex omnibus Poëtis constat, tum ex duobus his versiculis continuis Catulli in Pelei & Thetidis nuptiis ℣ſ. XXVIII. discas;

*Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?*
*Tene suam Tethys concessit ducere neptem?*

Scio, me nimis operosè rem nemini non notam tractare; sed in tam crasso errore etiam tritissima sunt repetenda. Praeterea, si contendere tamen quis velit, *Thetin* & *Tethyn*, quatenus pro mari saepe sumuntur, promiscuè usurpari posse; prorsus ἀπροσδιόνυσον illud foret in vertendo hoc disticho, ubi clarissimis verbis Nychea (quod nomen itidem malè effert Francius, *Nychaea*) ait se esse filiam Ὠκεανοῦ καὶ Τηθύος. Quî ergo Thetis neptis pro Tethy avia adhiberi potest? ita quippe diceretur Oceanus avus ex nepte Thetide generasse subolem; quod nullus uspiam dixit Mythologus. Quocumque modo ergo hanc versionem capias, patet, eam esse absurdissimam.

Haec ad gustum sufficiunt. Potuissent alia adjungi; ut cum Ἀρχίου vertitur *Archii*; Ἀγαθίου *Agathii*, pro *Archiae*, *Agathiae*: quae licet in Erratis notata sint, tamen saepius occurrunt. Similiter cum pag. CCXCII. Φιλίππου Μακεδονίου vertitur *Philippi Macedonis*. Non utique Μακεδόνιος hic Gentile nomen ut Μακεδών, sed proprium, adeo ut haec ambo Φίλιππος Μακεδόνιος sint nomina propria. Sed istiusmodi levia, ne ad Francii, Censoris mei, exemplum viderer λεπτομερεῖν, praetermitto.

## CAPUT VII.

*Scommata & convitia, quae in me per totam Epistolam I. verniliter sunt jacta, in P. Francium jure translata.*

QUid censes, Lector? Vidistine jam satis, quàm nihil scilicet, nisi limatum, & absolutum in scriptis P. Francii sit? Imo jam etiam vides, quid auctoritatis alios infesto calamo impetendi habeat ille, qui dum hoc facit, ipse turpissimè contra prima utriusque linguae rudimenta committit, & in aliis suis ipsius scriptis non simpliciter contra Prosodiam, sed contra linguae Graecae genium & usum. De Latinis nos parum vel nihil intulimus; quum in illis jam satis Francio meo nuperrimè sit exhibitum, cui insudet, & incumbat totus: ad rem nostram fecerunt modò Graeca, quorum paucula speciminis loco dedimus, ut pateret, nos in P. Francio longè graviora, quàm ille in nobis tanto molimine conatus est, animadvertere posse, si vellemus modò isti negotio nos dare, & nisi hactenus melius consuluissemus ipsius famae, quàm ille nostrae. Quae quum ita se habeant, quis non miretur & stupeat quam maximè, P. Francium tam tenuibus & infirmis armis, animos ipsius minimè aequantibus, primum aciem instruxisse, hostem sibi, qui nullus erat, irritavisse, & lacessisse, denique furentem potius & rabidum impetum suum, quam vires ostendisse? Sed & illud ante omnia miretur quilibet, quod idem ille tot scommatibus, & dicteriis contumeliosis, ingenuum hominem profectò non decentibus, sustinuit excipere & male mulctare (ut putavit) me, qui nihil unquam antea in eum conatus

 mo-

...sve sim. Pudor certè est turpissimus, si miles parum armis suis valere se ostentans, contumeliosa verba insultabundus jaciat in hostem, quem ipse legit. Quod quoniam in me facis, infensissime mihi Franci, & persaepè nimiùm acerbè, etiam super hujus rei atrocitate tecum expostulo, & publicè querelam meam itero: nec ab re fore puto, ut tela illa venenata exhibeam iterum, quae in me truculentissimè pariter & contumeliosissimè per totam illam Epistolam torques & jacularis. Ne verò molestè feras, si pleraque eorum in Te jure retorqueam.

Pag. Epistolae tuae x. ais me, *cum Latina & commoda terminatione* Jensius *dici possem, rudi tamen sono & aspero, mihi verò suavi & jucundo*, Jens *appellari maluisse hactenus, ut ex ipso statim nomine barbarum me esse hominem appareret.* Jam, puto, barbariei quoque incusas tot Viros cum praeteriti, tum hodierni temporis, scriptis suis itidem Latinis claros, qui nomina sua ad *Latinam terminationem* non adcommodarunt. Quis, quaeso, frivolam magis unquam legit cavillationem? *Barbarus* dicendus sum, quia gentile & patrium nomen in Latinis etiam scriptis aliquando retinui. Nonne rideres, Franci, si *Barbarum* te vocarem (quod potiori jure possem) quia Te scribis a *Frans Francium*, corruptis literis, cum *Fransium*, uti *Nansium* dicere debeas? Neque enim alio nomine quàm *Frans* vocatum esse Patrem tuum, satis constat.

Pag. xi. *Feroculum* me vocas. Cur autem? An quia per tres annos a te asperrimis verbis, denique etiam calamo tuo exagitatus, hactenus quievi, nihilque tuis in me intemperiis reposui; nisi nunc demum, ubi id mihi extorques? Te verò, mi vir, non *fero-*

*culum*,

*culum*, sed *ferocißimum* ajo, qui petulantibus epigrammatibus nemini parcis; & mihi, a quo nunquam laesus es, invidioso quodam epigrammate lascivè insultas.

Pag. XVII. Post exhibitum Graecum meum carmen, tanquam ἐπιφώνημα adcumulas, *Hoc est nobile illud carmen, quod tantas tragoedias concitavit.* Tune Graecum meum carmen *tantas tragoedias concitasse* ais? Qua tandem fronte hoc adfirmas? Egone per illud carmen aliquem pupugi, vulneravi, aut impetivi? Felicem praedicavi Academiam Lugdunensem, quae exoptatissimum sibi & humanioribus literis acciperet Perizonium, una cum Eruditissimo Gronovio Musarum sacris ibi operaturum, & studiosae juventuti serviturum. Credo, indignari jam te, quod laudem suam tribuam Nobili illi Eruditorum Pari; quibus Palladis delubrum curantibus, tu Lugdunum deplorare non erubescis; quum certissimum sit, si in ulla doctrinarum parte, electissimis scientiae Antecessoribus beata sit, ut est, illa Academia, in humanioribus studiis hoc agnoscendum esse. Jam, inquam, haud dubiè indignaris, quod de geminis his eruditi orbis sideribus ita loquar, ac omnes aequi rerum aestimatores loquuntur praeter te unum, qui ore tuo prorsus durissimo non dubitas ciere manes Scaligeri, Heinsii, Dousae, quò, si possent, *Leidensis Academiae formam adspicerent, & hos ipsos Graecae linguae, & Eloquentiae Professores.* Apage, impudentissime! *Vivant* Scaliger, Heinsius, Dousa! gratulabuntur *Academiae Leidensi*, quod illud humaniorum literarum lumen, ab ipsis olim accensum, ibi adhucdum tanquam Perpetuus ille in penetrali Vestae ignis, vigeat, ac post tot annorum decursum non

modò nihil vigoris ſui amiſerit, ſed magis coruſcet & ſplendeſcat. Imo *vivant* laudatiſſimi illi Heroes! dolebunt & aegrè ferent, ſuos ſucceſſores tam illepidè & inficetè ab Amſtelodamenſi aliquo impeti; & longè juſtius, quàm illi ἀναψυχῦντες Philoſophi in Lucianum apud Lucianum, dicent, Βάλλε, βάλλε τὸν κατάρατον τοῖς ἀφθόνοις λίθοις. ἐπίβαλλε τῶν βώλων. προσεπίβαλλε καὶ τῶν ὀστράκων. παῖε τοῖς ξύλοις τὸν ἀλιτήριον. ὅρα μὴ διαφύγῃ καὶ σὺ βάλλε, καὶ σὺ, καὶ σύ. πάντες ἅμα ξυνασπίσωμεν ἐπ' αὐτὸν, ὡς πήρη πήρηφιν ἀρήγει, βάκτρα ἢ βάκτροις. κοινὸς γὰρ πολέμιος. καὶ οὐκ ἔστιν ὅντινα ὑμῶν οὐχ ὕβρισε. Vt verò ad meam rem revertar, nil vereris eadem fronte pag. L. adfirmare hanc meam Elegiam *diſſenſionis omnis* inter te & CL. Perizonium fuiſſe originem; quum jam in priori Epiſtolae illius parte aliunde eam diſſenſionem repetiſſes. Ne iraſcaris, bone Franci, ſi dixero, *Hoc illud carmen eſt, quod tantum odium & invidiam concitavit, & in me fecit exardeſcere.*

Pag. XVII. Accuſas me *nigri livoris & inanis gloriolae*, quod Graecam etiam tentavi Poëſin, *nihiltibi proprium relinquens.* Quid hîc reſpondebo? Quidquid dixero vel molliſſimum, ſatis ſuperque arguet intempeſtivum tuum verborum impetum. Egone in Graecis quid tentans, *nigri livoris & inanis gloriolae culpa* notandus ſum, quaſi *nihil tibi proprium relinquens?* Vnde hoc *proprium* tibi, mi Franci? Regnumne adfectas? Si ſciviſſem, crede mihi, in tua, tanquam in Παντοκράτορος alicujus, verba juraſſem. De *gloriola* ſi inſtes, concedam tibi, quum omnes laudis gloria ducimur. De *nigro* verò *livore*, quaeſo, me abſolvas. Quidquid ego unquam in Poëſi tentavi, acuendi ingenii & ſtudiorum cauſſa factum eſt. Quid (ita me Dii ament!) *nigri livoris* potuit eſſe in me,

a te-

a teneris incipiente capi poëticis deliciis, & aliquid ſubinde in iis experiente? Ego verò vel ſic non niſi omnium eruditorum ab omni aevo praeceptis parui; & decantatiſſimum illud obſervavi,

*— Puer det primos verſibus annos.*

Si tamen neges me debuiſſe illis inſiſtere; oppono tibi omnium prudentium & ſapientium virorum conſilia, quibus juvenes, ut ſuccreſcamus ſenioribus, eoſque in omni eruditionis genere aemulemur, imò ſuperare adnitamur, ingenuè monemur & incendimur. Vlterius jam incipio intelligere, cur *nigri livoris* culpam mihi imputes. Volui nempe te *imitari* & *aemulari:* fac hoc ita eſſe (cum tamen non video, quin meliora certè praeſto fuerint exempla) Quis propterea *niger livor* eſt? Potius honori tuo ducendum hoc exiſtimem: niſi reſpuas omnem tibi ſuccreſcentem, & ipſe tecum ita loqui velle videaris, uti Moſchus ad manes Bionis ſui Idyll. III.

Τίς ποτὶ σᾷ σύριγγι μελίσδεται ὦ τριπόθητε;
Τίς δ' ἐπὶ σοῖς καλάμοις θήσει στόμα; τίς θρασὺς οὕτως;

Condona, Franci; nunquam in animum induxi te *imitari*, ſed nec tibi aemulari.

Caeterùm ſi illius *nigri livoris* macula te pluſquam civiliter tinctum & imbutum dicam, quid peccem? Ita ſcilicet nemo non nunc, & olim de te haud temerè judicavit; ubi apud ſana mente praeditos ne quidem minima iſtiuſmodi de me oriri unquam potuit ſuſpicio. Tandem verò ſenſim pervenire me video ad ipſum fontem, unde omnes hi turbulentiſſimi tumultus in me ebulliverunt. Tu longo annorum uſu famam aliquam tibi in arte Poëtica apud quoſdam pa-

 rave-

raveras, adeò ut jam *Poëta* dici inciperes; ut ipſe alicubi refers. Hinc in id praecipuè incumbendum tibi eſſe, viſum eſt, ut, quantum fieri poterat, ſolus nominis iſtius gloriam in terra patria obtineres; imò ut adducerentur plurimi, quò crederent, te *primum Montibus Aoniis Muſas in Patriam deduxiſſe*, non modò Vrbem, ſed & Terram: quamvis haec adrogantia ridenda ſatis foret illis, qui Joh. Secundum, Heinſios, alios cogitarent. Interim ego poëſeos dulcedine delinitus, in innocuis annis, rurſum & rurſum aliquid tento: quod pro aetatis captu condo, placet illis, qui ſtudiorum fautores & incitatores haberi laudatiſſimè volunt: ſtimulum illi addunt, & ut in delicatiſſimo ſtudiorum genere me ultra exerceam, auctores ſunt: quantum per alia ſtudia licet, monitis illis pareo, & ſpecimina quandoque exhibeo. Quis crederet, haec iniquis oculis adſpectum iri a P. Francio, cujus utique ego invidiam nullo modo poteram tum mereri? Invidit tamen, ut rebus patuit. Nihil a me componitur, cui ille non malignè obtrectat, odium in me ſuum & invidiam haud obſcurè declarans. Nec in meis tantum ita agit, ſed in aliorum (quod ſolatio mihi poſſit eſſe) ferme omnium hodiernorum ſcriptis poëticis, idem jam dudum facere conſueverat: in quo tamen, meo judicio, contra omnium antiquorum & recentiorum ſapientium ſententiam agit, nec viri prudentis, ingenui, & in humanioribus exercitati munus implet. Quid enim homine ſapienti dignum magis eſt, quàm ut illud bonum & excellens, quo ipſe ſe praeditum putat, ab aliis adfectari & concupiſci, lubentiſſimè cernat? Quid verò indignius & putidius eſt, quàm invidere ac obtrectare illis, qui rei alicui pulcrae, quam ipſe callere te exiſtimas, operam ſedu-

ſedulam navant, eoſque odiſſe, deprimere, & ſuperbiſſimo faſtu deſpicere?

Talem cum jam clanculum experiri inciperem P. Francium in Latinis meis exercitiis, apertè ſenſi in Graecis: in quibus dum aliquid periclitari volupe erat, acerbiſſimo animo id ab illo excipitur; quia ſcilicet ſic a me *nihil ſibi proprium relinqui* videbat. Quod verò praetermittendum hîc non eſt: voluerat jam olim P. Francius ſe liberare hoc, ſibi fortè moleſto, invidiae onere, ſperando & tentando, quò ego Amſtelaedamum habitatum concederem, ipſum de ſtudio poëtico aliquantum temporis auditurus. Quod quum non contigerit, deſperavit ad ſe olim redituram gloriam, quod ego, ſi quid unquam in illa arte poſſem, id omne ex ipſo hauſiſſem. Hinc *nigrior* factus ille *livor*; & ad quid tandem eruperit, ſatis jam conſtat; nec ubi rerum teſtimonia adſunt, opus eſt verbis. Hoc tamen nunc mali contraxiſſe mihi videor, quia me ipſius diſciplinae non tradidi, quod nunc *elumbes*, *ſine mente*, *ſine indole*, *verſus conſuam*; ubi caeteroquin nervorum, gratiae, & leporis pleniſſimos condidiſſem ſcilicet, utpote politos Franciâ limâ, quae ſola nitida, glabra, & poliendo eſt aptiſsima. En quàm veriſsimum illud Aſcraei ſenis!

> Καὶ κεραμεὺς κεραμεῖ κοτέει. καὶ τέκτονι τέκτων,
> Και πτωχὸς πτωχῷ φθονέει, καὶ ἀοιδὸς ἀοιδῷ.

Puto me digitum intendiſſe in ipſiſsimum odii, invidentiae, & malarum in me P. Francii irarum fontem; adeoque *nigri livoris* maculam de me abſterſiſſe, & in eum, ad quem veriſsimè pertinet, contuliſſe.

Pergit Noſter, & dum carmen meum paenè ad verbum cenſoria virga caſtigat, non ſimplici eo facto defungitur;

tur; nequaquam. Nusquam non scommata, maligni sui & superbientis animi indicia, inspergit ac contumeliosis sannis mihi & muneri meo illudit; quasi verò pulcrum sit, Professorem infimae & inficetae plebis instar convitiando rem agere. Nunc me *Magistrum* (quod nomen, nisi contumelioso animo foret objectum, haud equidem gravarer) nunc *Magistellum* adpellat; nunc de *discipulis* & *pueris*, qui erudiendi mihi traditi sunt, aliquid oggannit; nunc denique de *ferula*, *sceptro paedagogico*, *& virga* satis verniliter & lascivè quidpiam infert; quorum objectionem jejunam prorsus & frivolam nullus non rideat; quum ingenuum sit, quod tracto, nec servilibus verberibus, sed fidelibus praeceptis ac institutionibus agatur. Haec tamen omnia illepidè per omnes animadversiones sparsa, quid aliud sano & ingenuo Lectori persuadent, quàm sordidum & illiberale scriptoris ingenium? Quid aliud, quàm ferocientis hominis immoderatam proterviam significant? Denique quid aliud, quàm majorem indignationem in Scriptorem Lectori excitant, ubi is videt ipsum illum tam effraenatè insultantem tam turpiter saepe labi? Sed *heus tu* iterum, Francei! Tune adeo per contemptum toties me *Magistrum*, vel *Magistellum* adpellas? Ego verò satis superque honori duco decretum Curiae Dordrechtanae de studiis meis, & de me adhucdum juvene, ut ignarus, sine prensatione ulla (nisi quam honestissimè faciebant juvenilia mea experimenta) fierem proximus illi loco, quem ὁ πάνυ Gerardus Jo. Vossius jam grandior natu possedit; quique deinde ad eam ipsam cathedram, quam tu nunc (nisi parcerem tibi, dicerem, *steriliter*) obtines, ascendit: nec ego consenescere in illo pulvere decrevi; sed mea coelo curae sunto.

Pau-

Paucis denique respondendum mihi est ad enormem illam tuam, Franci, impudentiam & pervicaciam, ubi apertis verbis pagina penultima Epist. I. effutire non vereris, *Me videri esse eum, qui lubentissimè in me partes suscepi*, Epigrammata illa faciendi, quorum Auctorem tu adpellasti *Scurram Litterarium.* Cur autem visus fui, *lubentißimè has partes suscepisse? Vt ultionem*, ais, *de te sumerem, qui tot mendas in Graeco meo versu* (*carmine* dicere oportuit, Professor Litterate) *ostensurum te contenderas.* An ego per amicas literas, ut *mendas* illas, quas jactabas, mihi significares, a te olim flagitassem; & deinde in animo haberem *ultionem de te* Epigrammate aliquo mordaci *sumere?* Malè, Franci, de me idem, ac de te statuis. Si tuo illo forem ingenio maximè proclivi impetendis, vulnerandis, lacessendis aliis per mordacia Epigrammata, verisimile hoc de me cogitare posses. Quae verò haec est importuna tua intemperies, insimulandi me publicè, *scurram* dicendi, cum nuda, & impio tuo in me animo concepta suspicione nitaris; utique nihil certi argumenti, vel nunc, vel posthac unquam, adferre poteris. O infandam & implacabilem acerbissimi hominis diritatem! O injuriam execrandam ab Professore paenè quinquagenario, juniori, studiis suis & bonae menti operam danti, inclementissimè illatam!

## CAPUT VIII.

*Peroratio ad Lectorem, superiorum omnium ἀνακεφαλαίωσιν complectens.*

AD te denique, Lector optime, me converto; imo ad te provoco; absolvi tandem, quae commu-

municare tecum animus fuit contra virulentiſsimam acerbitatem, quam P. Francius, Profeſſor Amſtelodamenſis, in me nihil tale, vel ſimile, merentem exercuit. Significavi tibi, quî ego in illis annis, cum illorum hominum aucupabar amicitias, quos in humanioribus ſtudiis rem quomodocunque laudabiliter gerere opinabar, tentarim quoque conciliare mihi P. Francium; quem talem expertus fui, ut qui non facilè cum aliis, eamdem ſecum artem factitare ſtudentibus, amicitiae foedus ſervare poſſit. Hinc enarravi, quantum ille odium contra me ſuſceperit, & rebus declararit, dum Graecum aliquod carmen à me juvene compoſitum aſperè traduxit, exploſit, & ludibrio contumelioſè expoſuit; nec vitia, quae jactabat, humaniſſimè roganti indicare unquam voluit. Ad injuſtiſsimum deinde factum illud perrexi, quo me Epigrammatum quorumdam, ſuis repoſitorum, vel Auctorem, vel adjutorem inſimulavit; ac propterea infami titulo *Scurrae*, ejuſve *Socii* primo latenter, deinde palam, & in ſcriptis ſuis deſignavit: quae falſiſsima pariter & iniquiſsima ſuſpicio ad tantam animi diritatem, an veſaniam, eum impulit, ut calamo ſuo non modò exagitarit, ſed idem illud juvenile carmen meum, ſuperioribus annis compoſitum, aſperrimo ſtylo lancinarit; nulloque non contumeliarum genere foedarit. Omni iſtac inſolentia, & putidiſſima inſultabundi hominis protervia irritatus, pedem denique contuli, & univerſos ferme quadraginta errores, inclementiſſimè mihi objectos, vindicavi, ac probatiſsimorum poëtarum ſcriptis partim confirmavi, partim per cavillationem & ſugillationem jejunam adſignata, refutavi & dilui. Tum examen inſtitutum a nobis eſt, quo ſucceſſu & gloria Profeſſor id aetatis juve-

juvenile exercitium ita tractaverit, quum omnes errores, qui adsignari potuere, si errores dicendi verè essent, in eo consisterent, quod illae vocales, quae millies apud Graecos communes sunt, vel correptae mihi; vel productae fuissent, contra quam Censor meus opinatur. Dehinc vidimus quo jure istiusmodi censuram instituere licuerit illi, qui non modò in ipsis illis severissimis castigationibus, se prima Graecarum literarum elementa ignorare ostendit; sed & qui in aliis tu[illegible]cis scriptis, vel ad Graecam linguam pertinentibus, non simpliciter in certas Prosodiae regulas, verùm in longè graviora turpiter impegit vitia; quorum specimina exhibuimus satis insignia. Denique contumeliosa illa excussi scommata, quae per totam illam scriptionem suam, tanquam tela veneno madentia in me jaculatus est P. Francius; quod dum feci, ad ipsissimam deveni originem, unde dirus ille in me animus certissimè extitit.

Jam, inquam, ad te, Lector aequissime, provoco, in tuo unius suffragio & sententia lubentissimè adquieturus. Quid homini juniori, & in humaniora studia pariter ac bonam mentem famamque incumbenti (qualem me profiteor) adversum magis & inominatum accidere potest, quàm ut invidiam, odium, acerbitatem, injuriam, contumeliam, publicam denique calumniam patiatur à Viro, cui nec aetate, usu, & nomine sit aequalis? Quae singula cum mihi indignissimè contigerint a P. Francio, quid antiquius & prius habere potui, quàm caussam meam publicè agere, famam meam tueri, & me contra insolentem protervi Adversarii mei impetum defendere? Excidit, fateor, aliquando mihi quidquam duriusculum: sed quis placidum aliquid & lene tam asperè lacessen-

ti, mordenti, pungenti poſſet opponere? Ἔνεστι καὶ μύρμηκι χολή. Vel tranquilliſſimus quiſque, nimiis injuriis & acerbitatibus infeſtatus, concitari poſſit. Quidquid tamen paullo aſperius videri poſſim dixiſſe, non praeter rei atrocitatem dictum arbitror; vel potius ut tu arbitreris, Lector optime, hoc, ut & reliqua omnia tuo arbitrio lubens permitto. Vale, &


*pag.* XLIV. *lin.* VII. *pro* producunt *lege* corripiunt.



ἔτεσι καὶ
tis inju-
Quid-
ſe, non
otius ut
iqua o-

ripiunt.






CB